



卷之五






Microfilm


IC

~~B. P. P. P. C. de Paris~~

24.6.1917 - 6



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16




Microfilm

IC

~~B. Dr. Roque Gómez de Arellano~~

~~27.6.10 7-5~~





IO. ANTONII  
VIPERANI,  
ORATIONES VI.

(5)

De Naturali sciendi cupiditate.  
De Utile scientiarum.  
De Consensu Disciplinarum.  
De Perfecto habitu hominis.  
De Philosophia.  
De Legibus.



ANTVERPIÆ,  
Ex officina Christophori Plantini,  
Architypographi Regij.

M. D. LXXXI.



i 11804/29

S V M M A P R I V I L E G I I.

R E G I S Priuilegio cautum est, ne quis  
citra Christophori Plantini Architypogra-  
phi Regij voluntatem *Io. Antonij Viperani*  
*opera*, intra octennium à die impressionis  
absolutæ, imprimat, aut alibi impressa im-  
portet, venaliæ habeat intra omnes ditio-  
nis eius fines. qui secus faxit, pœna multa-  
bitur quæ expressa est in regio diplomate,  
dato Bruxellæ 20. Martij, M. D. L X X V I.

*Sign.*

Iac. Blyleuen.

IACOBO BONCOMPAGNO VTRIVSQUE MILITIAE S. R. E. GUBERNATORI  
GENERALI,  
IO. ANTONIVS  
VIPERANVS.

**N**ULLVM orationis genus est, Iacobe Boncompagne, in quo aut uberiorius dicere, aut aliis prodefesse magis possit Orator, quam Demonstratiuum. quodquidem ad bene dicendum, & recte viuedum ideo valet plurimum, quia in bonarum rerum laudatione, & malarum reprehensione versatur. Neque vero solum personas laudamus, sed etiam res ipsas verbis extollimus, quae praedicatione dignos efficiunt eos, in quibus insunt. Sunt autem due res præcipue, quae insignem ac propè diuinum hominem reddunt, doctrinarum cognitio, & actio virtutum: quarum altera

A 2 men-

4

mentem exornat, altera appetitiones componit. vtranq. philosophia complectitur, hoc est, studium sapientiae: quæ totius animi perfectio & absolu-  
tio est. Ad quam celebrâdam aliquas orationes olim fecimus, ut ad rerû ho-  
nestarû studia iuuenes excitaremus. Has modò cùm in lucé dare animus esset, statui tibi dicare & philosophiæ studioso, & à meis scriptis minimè, o-  
pinor, abhorrenti. Nec porrò munus in præsenti vllum aptius habebam,  
quo meam in te obseruantiam ceteris testificarer: quam omnibus notâ esse cupio. Quæ orationes si ad progym-  
nasimata & declamâtium exercitatio-  
nes accedant, nulli mirû sit, quoniam à foro & à senatu alienæ sunt, atq. in philosophorum scholis à sophista ali-  
quo agi videntur. Sed qualescunque sint tibi optimo & maximis dignita-  
tibus ornatissimo Patrono sine vllis magnificis verbis simpliciter & can-  
di dè nuncupamus.

DE

DE NATVRALI SCIENDI  
C V P I D I T A T E ,  
O R A T I O I .

**S**i quantum humanis animis, Auditores, na-  
tura sciendi cupiditatem ingenerat, tan-  
tam quoq; discendi alacritatem infereret,  
profectio a doctrinarum studiis nullus labor  
nos deterreret, neque illum incommode aut difficultas  
retardaret. Sed cum hominum vitam exiguis terminis  
circumscribat, simulq; vel ingenij solertiam, vel iudicij  
firmitatem, vel ipsam inuentarum & cognitarum rerum  
custodem memoriam deneget, aut non satis benevolia  
parés, aut iniusta noverca nobis esse videtur. Hinc mo-  
riens Theophrastus illā incusabat, quod coruis & cor-  
nicibus, quorum id nihil interesset, ampliorem lucem  
donasset, nobis, qui ad maiora quadam nati & instituti  
essemus, breviorem spiritum dedisset. Verum id diuinis  
fieri credendum est, ut natura nobis interdum mi-  
nus opituletur, & hominum etas & quæ diurna nō sit,  
ac belluarum: quoniam decet res praeclaras studio &  
labore parari. nihil autem rectis artibus & doctrinis  
potest esse præstantius: quibus mores ornantur, &  
intelligentia excolitur, atq; animus in excelsam diuinæ  
dignitatis sedem certis quasi gradibus ascendit. Tum  
quia rerum, quas menti sensus obiciunt, scientia nos ad  
cognoscendum vniuersitatis authorem exacuit, nec fas  
est illum nisi mortali corpore exutis videre, non solum  
non optandus est longior vita cursus, verum etiam sapè  
recusandus. Quamobrem statui hodierno die, qui stu-  
diorum academiæ vestre principium afferre solet, de  
sciendi cupiditate dicere, quam in omnium nostrum-

animis natura ingenuit: ut intelligentes humanum animalium rerum notionem poliri ad bonarum artium studia diligenter incumbatis. Est, Auditores, homini a natura discendi innata cupiditas, non secus ac reliquis rebus certa quadam indita vis, qua nempe ad id, quod sibi conueniens & accommodatum est, incitatatur. Sic nature impulsu grana in terram rurunt, levia in sublime feruntur; & quae sensibus instructa sunt animantes ea naturaliter appetunt, quae apta & secundum naturam esse sentiunt. Ad summam unaquaque res eum motum, & actionem sequitur, ad quam a natura facta & docta est. Naturalis autem actio ea est, qua qualibet res nititur in suo genere salua in columisq; seruari. Cum igitur hominis intelligentiam rerum cognitio perficiat, nihil magis proprium esse nobis arbitror, nihil dignius & optabilius ipsa rerum cognitione atque scientia. Hoc nimis illud, quod animus noster, cuius vis celer & sagax est, nunquam quiescit semper aliquid secum pertractans & cogitans: qui vel sopito corpore vigilat. Accedamus ad incunabula (in hac enim aetate philosophi naturae indicia melius deprehendunt) possunt ne pueri & infantes non aut videre aliquid, aut addiscere, aut moliri? Rebus nouis detinetur, spectaculis gaudet, ludos amat, mutuis sermonibus delectantur; atq; ab his, quas dico, rebus neque minis, neque verberibus dimouentur: quin ipso sciendi desiderio ad maiorum rerum inquisitionem contemplationemq; ducuntur. Et crescit cum etatibus semper aliquid agendi discendiq; cupiditas. Quis obsecro vestrum Endymionis, aut Epi menidis somnum dormire vellet, qui (ut poetarum fabule produnt) longissima quiete sopiti fuerunt? Nemo omnium. Videlicet, quia vita vigilia est, mors vero somnus. Ipsa vero vigilia indagatione rerum & inspectione

Eione traducitur. Et quidem bruta animantia , quoniam intelligentia vacant, nullam cognitionem capiunt, nec præterita meminerunt, nec futura prospiciunt, sensu duntaxat aguntur, quo tantum res presentes, singulatimq; percipiunt: verum homines , qui mentis capaces sunt, cuius proprium munus est inter se res conferre, ac quid antecedat, quid sequatur aduertere, principia rerum causasq; perquirunt, atq; uniuersas & communes omnium rationes considerant. quarum obseruatio scientiam efficit: quæ constans & firma cognitio est. Neque vero nobis solum propter vitæ usum perinde a belluis, sed etiam ad comparâdam notitiam rerum natura sensus tanquam satellites & ministros dedit. Si quidem animus dum inclusus in corpore est, nullius rei cognitionem assequitur, cuius formam à sensibus non acciperit. Atq; ideo sensuum motu, non modo quia incundus, verum etiam quia ad capessendas artes & disciplinas necessarius est, delectamur: ac videndi & audiendi sensus pre ceteris charos habemus, quorum officia nobis ad eruditionem atq; prudentiam magis, quam aliorum opera deseruiunt. Nam altero res notamus, altero doctrinas haurimus. quanquā aspectus mea sententia hoc auditu melior est, quo minus ab obiectis formis immutatur, ac plures animo species rerum & imagines offert. Si res igitur ita se habet, qui potest prouidus & solers animus non earum rerum vires attendere, quarum sibi formæ à sensibus commendantur: atque ubi tam multa & præclara mundi opificis opera conspicerit, non etiam ipsis numen cognoscere, & os cercnere exoptauerit? Certè finem inuestigandi rerum naturas ullum antè non fecerit, quam diuini numinis vim intelligentia consequitus fuerit: in cuius aspectu ab indagatione rerum conquiescat: quoniam in eo tanquam

in speculo vires illarum & naturas contuebitur. Quapropter indocti homines, in quibus nulla vis rationis, nullusq; animi motus appetet, scitè cum belluis conseruntur, quemente & intelligentia carent: immo & statuis ritè equiparantur, à quibus nihil differant, si sensum ex illis detraxeris. Quod si bruta animantia Dei consulto hominis potestati atq; imperio subsunt, & ignari sapientibus hominibus iure optimo ac serui dominis subiacere & parere debent. Hoc enim vult lex naturæ, ut in eruditorum vita peritorum consilio gubernetur: quoniam bonarum & malarum rerum delectum tenere nullū queunt, qui in opes ingenij, & doctrinarum expertes sunt. Est autem viuendi ars prudentia: qua rerum expetendarum & fugiendarum scientia sine memoria & experientia comparari non potest. Quamobrem ut homo ratione belluis antecellit, sic inter ipsos homines tanto aliquis eminebit, quanto alios rerum intelligentia & prudentia superabit. Magna, Auditores, sapientis laus est, magna authoritas, qui artes excogitauit, & ad humanae vita usus res necessarias innenit, qui morum præceptiones & officiorum fines descripsit; qui naturæ vires occultas patefecit, quibusq; ex principiis omnia generarentur explicuit; qui calorum conuersiones, luminum commutationes, siderum accessus & recessus animaduertit; qui demum in illa summi Dei augusta & sancta templa, quando nullus unquam sensus attigit, diuina quadam vi mentis & acie penetrauit. Fatoe in tantis ignorantiae tenebris nos minimè versaturos, si nostri generis parens Adam nunquam à divino edicto recessisset. Eius peccato nos à recta natura desciuimus, & in multas animi prauitates & opinionum errores incidimus. Hinc libidinis incitamenta sentiri, hinc rationis lumen inscitiae caligine perstringi, hinc

gra-

grauissimum malorum mors in hominibus regnare cœpit: quos alioquin immortales & incolumes ab interitu corporis in omne tempus diuina clementia seruasset. Quamobrem sapientes homines ignorantiam ut spretæ diuine maiestatis poenam non aliter ac mortem, quatenus contra naturam est, perhorrescunt. Teneris sacrarum rerum monimenta, in his ornamenta conspici te, quibus Deus maximus Adam affecit, ex quo humandum genus in terris propagauit, agnosceris rerum scientiam inter reliqua virtutum insignia summā homini dignitatem afferre: quam ille tum ingētem ostentauit, cùm singulis rebus sua nomina imposuit, quod præstare nullo modo potuisse, ni cuiusq; rei vim & naturam bene cognitam penitusq; perspectam habuisset. Quam scientiam tanquā hereditatem ad nos lege venientem utiq; cepissimus, si non diuinorum mandatorum desertor parens noster se atq; vna posteros misere perditū iuisset. Quid igitur magis ēre nostra fore credemus, quam amissam rerum scientiam recuperare? Non dicam quod grauissimus author Plato sentit, nostrum discere nihil aliud esse, quam reminisci. Fingit enim à principio animas vna cum mundo a Deo generatas, atq; omni virtute & scientia dotatas fuisse, illis que sedes in extimo celo statis sideribus datas esse, ubi nectare & ambrosia, hoc est, rerum diuinorum contemplatione fruerentur; sed eas, que inferiorum rerū amore tangerentur, sensim ex orbe in orbem descendere, singulisq; ex locis aut stuporis, aut ferocie, aut cupiditatis, aut arrogantis, aut inconstantis morbos vitiaq; contrahere, actādem in humana corpora illabi: in quibus velut in obscuro & caco carcere inclusæ, ac tetra caligine & tenebris obducte nullam omnino rē cernunt; ac metu, egritudine, spe, libidine aliisq; perturbationibus af-

facta neque se amplius, neq<sup>z</sup> sui generis originem aspi-  
ciunt. At quæ deinde sese erigunt, & in cælum oculos  
attollunt, curis solutæ & tranquillatæ incipiunt littera-  
rum accidente splendore qua antè viderant et perce-  
perant recordando cognoscere. Ideoque noster animus  
cùm ea, quæ obliniōne deleta fuerant, dicit, illorum di-  
citur reminisci. Et Platonicorum doctrinam sequunt  
fabularum artifices poëta fluminum, quem ab obliniōne  
Lethen appellant, apud inferos confinxerunt: cuius  
potatio rerum memoriam deleret. Corpus enim inferos  
vocant: corporis autem contagione animus tanquam  
Lethai fluminis haustu obliniōne rerum bonarum ob-  
ruitur. Quare licet commentitia sit, & Christianæ  
veritati repugnans docenti animam à Deo tum crea-  
ri, cùm corpori infunditur; tamen ad probandum scien-  
tiae cupiditatē a natura in animo insitam esse non om-  
nino inepita videtur. Ex his perspicuum fit scientiam  
ad humani animi absolutam formam pertinere. Et cùm  
unaquaq<sup>z</sup> res naturæ sue absolutionē asciscat, dubium  
non est homines naturaliter sciendi desiderio teneri. Sed  
de hominis perfectione cùm adhuc paucā pro re planius  
loquor, quæ so me Auditores diligentius attēdite. Perfe-  
ctio cuiusq<sup>z</sup> rei est cuiusq<sup>z</sup> naturæ in suo genere absolu-  
tio: cùm nimirū habet omnia, quæ sibi conducunt; cùm,  
inquit, omnibus suis partibus apta, & numeris (vt Sto-  
ci loquuntur) expleta est. Ergo si felicitatem hominis lu-  
strare animo proponimus (nā felicitatis perfectionis &  
finis eadem omnino sentētia est) spectare nos oportet ea,  
quorum adeptione felices ac beati efficimur. Quoniam  
vero ex animo & corpore constamus, bona perpendenda  
sunt, quæ ad virijsq<sup>z</sup> incolumentem & sanitatem at-  
tingent. Ac sanè vos ipsi bona animi tanto bonis corpo-  
ris præferetis, quanto cœlestē animum terrestri corpori  
præstare

præstare indicabitis. Verum enim felicitas cùm præstantissima res sit, in optima hominis parte collocanda est. Quare mentis solutionem consideremus, quæ in homine principatū tenet; eiúsque actiones inspiciamus, quibus ad perfectam naturæ suæ formam speciemq; redigitur. Nec enim quæ à se non est, sed pendet aliunde, finem suum absq; illa opera contingit. Facultates animi seu virtutes duæ potissimum sunt, intelligentia & voluntas: intelligentia rei formam induit, cum rem ipsam comprehendere non potest; voluntas rem intellecta studio & amore prosequitur. illa rem, quatenus in rerum natura est, perficit; hac, quatenus bona & appetenda est, amat. Itaq; scientia, quando rerū inquisitio & contemplatio propria mentis actio est, in præcipuis animi bonis censetur. Insatiabilis autem eius cupiditas propter infinitatem rerum est: & quacunq; in rerum natura sunt intelligenda nostris animis obiiciuntur. Nec vñquam sciendi desiderium explebitur, ni cùm id cognitum fuerit, cuius gratia reliqua sunt, quodq; ipsum vniuersa complectitur. Summum autem vniuersi bonum Deus est, cui nomen est Qui est; qui simplex & sempiternus est, quoniam à se est, omnium rerum author finis atque principium, cuncta bona suo sinu coërcens; nimivrum extra quem nulla res esse, aut cogitari à quoquam potest. Idcirco nullius rei natura intelligi potest, quin etiam diuini numinis potestas percipiatur: quia res vniuersæ vim omnem suam illi acceptam referunt, à quo, in quo, & per quem (vt diuinorum rerum scriptores loquuntur) sunt, viuunt, atq; mouētur. Quapropter beatorem eum esse putauero, cuius mentem maior veri Dei cognitio imbuerit. Et si effectarum rerum, quas egregias & insignes cernimus, optamus authorem cognoscere; proculdubio mens nostra videndi Dei cupiditate incen-

incenditur, cùm uniuersitatem tam pulchrum & eximium opus inspicit. Cuius quidem aspectu felicitas hominis terminatur, qui vniuersales causas animo vestigat, & vniuersi boni capax est. Rerum autem omnium princeps causa & finis Deus est; in quo bonitatis omnis vis & ratio inest. Præterea si unaquaq;<sub>z</sub> res tunc naturæ sua perfectione assequitur, cùm ad principium, à quo manat, apta colligatione reducitur, & nos in diuini numinis, à quo orimus, societate & coniunctione bene beatæq;<sub>z</sub> vinemus. Ac quemadmodum Astronomi docēt relationem calorum conuersionem eam esse, qua ab oriente sole in Occidentem, rursumq;<sub>z</sub> in Orientem fit, sic hominis intelligentia tunc recta est, cùm à Deo in res procreatæ proficiat, rursumq;<sub>z</sub> in Deum ratiocinando regreditur. Sed in terris (ut Apostolus ait) ev. dñi pccv a nobis Deus videtur. quia mens nostra nisi per formas oblatas sibi à sensibus rem vllā intelligere nequit. Deus autem omnem sensum effugit. at vero in celis, ubi nulla opera sensuum requiritur, facie ad faciem cernetur, a fulgente caelestis glorie lumine, & speciei vicem diuini numinis subeunte natura. Verum tamen in hoc infimo mundi loco, in quo nihil est nisi mortale & caducum, quamvis integrum nobis nō sit perfectè beatis esse, quippe quibus Deum videre non liceat; tamen naturaliter eum quoq;<sub>z</sub> vita statum expetimus, qui ad perfecti formam proprius accedit. Hic autem status est sapientis, cuius animus rerum diuinarum & humanarum contemplatione alitur; ac cogitando semper aliquid præclarri aut inquirit, aut agit. Quid? sapientes viros, & in aliquo doctrinarum genere præstantes nōne cuncti admiramus ut potè ingenio & intelligentia nobis excellentes. Nec quidem in scientia excellere pulchrum arbitraremur, si nihil ad natura nostra conditionem dignitas

tas ista pertineret. Ergo ad comparādam rerum scien-  
tiā natura mouemur: qua instigante non solum ab-  
solutam felicitatem, sed inchoatam etiā adumbratamq;  
persequimur. Quod si grata sunt ea, quae secundum na-  
turam sunt, non sāne incunda nō erit sciētia, qua mens  
animusq; perficiūr. Unde, quoniam quae incunda sunt  
propter sē amantur, in sacrarum rerum monumētis lu-  
do assimilatur, qui sui gratia petitur, quiq; ex se ipse  
delectat. Ac praeclarè veteres illi poētae simul atq; theo-  
logi eorum vitam, qui post mortem in Elysīis & fortu-  
natis campis degerent, ob id in primis beatam cecine-  
runt, quod nullis operosis negotiis impediti, nullis mole-  
stis occupationibus implicati omne tempus & op̄eram  
in indagatione rerum & circumspēctione consumerent.  
Nec ego sanctis & beatis hominibus, qui in caelestibus  
domiciliis cum diuinis mentibus commorantur, ullam  
aliam actionem esse pr̄ter diuini numinis contempla-  
tionem existimo: quos otiosos esse & nihil agentes, si vi-  
nunt ac sapiunt, non est ullaratione credendum. Nec si  
corpus cibariis nutritur, non etiam animus suis nutri-  
mentis educatur. Non autem corporeis alimentis in-  
corporea mens vescitur, sed diuinis. Que autem hæc?  
Rerum cognitio & contemplatio ipsa est animorū sua-  
nissimus pastus, quo immortales aluntur; ipsa est poē-  
ticū illud nectar & ambrosia, quam soli calites bibunt:  
nempe in quorum natura nullius rei cadit ignoratio;  
quos omni re deceat præstantissimos esse. Tum rerum  
sacrarū periti censem doctos viros in summo caelo, quod  
ab immenso splendore empyreum vocant, ubi sedes sunt  
beatorum, velut maiores stellas celi stelliferi elucere.  
Sic pios homines sequitur post mortem scientia, & quos  
in terris honestat, in calis quoq; singulariter exornat.  
Quin nihil omnium est, quod similiores Deo nos red-  
dat,

dat, quam sciētia; cūm is, qui calum & terram implet, quicq; res vniuersas producit, sciētissimus sit, omnia cer- nens, omnia intelligens, omnia sapientissimè regens atque gubernans. Cuius intelligentia absoluta & perfecta ideo est, quia nulla vsquam res illum latet, nec vñquam contingit eum aliquid scire, quod aliquando ignorauerit. Prudenter itaq; apud Homerum Sirenes Ulyssem carminibus suis irretire studentes nullam rem aliam preter scientiam illi pollicentur: qua non ignorant ingenuos & liberales homines capi. Attame leuis & curiosus hominis est omnia velle cognoscere, que vel puerorum cantiunculis efferuntur, aut in vulgi rumores temerè emanant: sed honestarum & utilium rerum cognitio laudatur, que vel ad animi culturam pertinet, vel ad degendæ vite rationem facit. Proinde artes illas nunquam probauerim, que licet vulgus in admiratio nem rapiant, tamen ex se inanes atq; inutiles sunt; que nec honesti faciem ullam habent, nec aliquod humanae vitae commodum & utilitatem pariunt. Egregieq; Magnus Alexander cūm spectasset quendam ex distante spatio in foramen acus grana ciceris inferentem; admirantibus ceteris, ipse tantummodo eiusdem leguminis modio illū donauit, ratus maiore pramio indignum operam, quo nullum virtutis specimen daret, neq; ullum vitæ fructum afferret. At rerū naturas inquirere, liberales artes addiscere, priscorū facta, maiorum instituta, religionis cultum, hominum mores & vitam obseruare, id porrò mentem & rationem induentis hominis est. Quoniam vero nobis in huius vita curicello minimè licet rerum omnium naturas percipere, ac paucis datur inter tam multos sententiarum errores veritatis lumen aspicere, scitè Plato sentit eū esse beatum, cui diuinitus contigerit etiam in senectute veras opiniones.

opiniones assequi posse. Nec iniuria Solon unus è septem  
Graciae sapientibus gloriatur se aliquid quotidie addis-  
centem fieri senem. Quantus autem sit in nobis amor  
cognitionis, ex hoc facile patet, quod nulla spe commodi,  
sapè etiam magna cum facultatum iactura ac salutis  
periculo spōte ad ingenuas artes appellimur, neglectisq;  
corporis voluptatibus, qua hominem frequentius & ve-  
hementius mouent, ultrò ad scientiā rapimur; nec cum  
maximis laboribus & molestiis compēsare dubitamus  
oblectationem, quam ex doctrinarū studiis accipimus.  
Non enim quemadmodum corporis voluptas, sic animi  
delectatio satietatem ullam gignit. illa breuis & nocens  
est, hec salutaris atque perennis; illa vires eneruat, hec  
confirmat; illa nobis cum brutis animantibus, hec cum  
diuinis mentibus communis: hanc si ita mente sentire-  
mus, sicut illam sensu gustamus, profecto non minus do-  
ctrine, quam auri studio traheremur, magisq; nos Mu-  
sarum carmina, quam Sirenum cantus ad se excitarent  
atque allicerent. Agite, quis calorum conuolitiones, si-  
derum imagines, astrorum vultus, stellarū inflamma-  
tiones, solis circuitum, luna mutabilitatem, etheris ar-  
dorem, elementorum inter se fœdera & inimicitias nō  
summopere scire desiderat? *Quis* ventos, gradines, im-  
bres, fulmina, tonitrua, tempestates, ac quecumque in  
aere generantur nosse non mirum in modū gestit? *Quis*  
silvas, colles, valles, campos, ac reliquū terrae ornatum  
contemplandi studio non flagrat? *Quis* regiones, vrbes,  
maria, insulas, & que in terra ac mari sunt diuersorū  
generum animantia, feras, bestias videndi cupiditate  
non inflammatur? *Quis* istiusmodi sapientum homi-  
num studiis & delectationibus ullius opes, regna, volu-  
ptates anteposuerit? Sed obscuritatem naturae & occul-  
tarum rerum cognitionem omittamus: quantum histo-  
riarum

riarum lectio nos delectat: qui incredibilicūm delictatione res gestas legimus, ac magnorum virorum dicta & facta s̄epius legendo repetimus? Sed & fabularum, quae fictae res sunt, recitatio quanto cum iucunditatis fructu nos detinet: cūm s̄apē cibi ac somni desiderium aut expellat, aut tranquillet? Nōnne ista scientiae cupitas magna est, quae non dicam corporis voluptatibus, sed necessitatibus antefertur? Verū exempla sapientum virorum intueamur, qui huic discendi quaerendī delectationi toto sese animo dediderunt. Quo studio Aristotelem censem in litteris etatem egisse? qui ex tantisq; suis praeclarissimis monumentis nihil aliud tota vite sua tempore fecisse videtur, quam legisse, disputasse, scripsisse. Quonam ardore putatis Carneadem ad sapientiae studia ingenium applicasse, cūm sumendi cibi causa recumbens manum in mensam porrigere non recordaretur? Qua cura in describendis formis Archimedem intentum infixumq; fuisse ducitis, cūm nec patriam expugnari, nec domum ab hoste capi sensit? Sed nec militi nomine suum percunctanti potuit indicare nimia cogitatione sensibus alienatus. Itaq; ferro trucidatus figurās, quas acri diligentia depingebat, proprio cruento fœdauit. Nam Socrates stans uno eodemq; in loco diem integrum ab aspectu celi immotam oculorum aciem s̄apē tenebat; nec longa contemplatione desatigabatur, quem investigationis delectatio recreabat. Demosthenes si quando antelucanis opificum vigilis vietus fuisset, ægerrimè ferebat. Zoroaster verò annos viginti solus egit in secreto & abdito loco, ne ab investigatione rerum ullis negotiis abduceretur. Anaxagoras patriam & patrimonium reliquit, ut liberius doctrinarum studiis vacaret: deinde reuersus in patriam accusantibus aliis quod possessiones in cultas deseruit, set,

set, non essem, inquit, ego saluus, nisi ista perirent. Crates veritus ne dimitiarum cura mentis solertiam restinguerebat, ingens auri pondus in mare proiecit. Abite, inquiens, pessum male cupiditates: mergae ego vos prius, quam a vobis ipse demergar. Democritus post Persidis, Arabiae, Aethiopiae, Aegypti regiones peragratas patrimonium vendidit, atque in solitudine secessit, quodque grauius est, oculos sibi eruit, ne in exquirendis rerum naturis animus ab aspectabilibus formis vanis cogitationibus impediretur. Et quoniam exemplis plena sunt omnia, videte Pythagoram, Platonem, Apollonium, Solonem, aduertere que maria transierint, quas nationes adierint, quas gentes Barbaras penetraverint, quo studio, quo labore, quo vita discrimine, ut ceterarum gentium disciplinas artesque perciperet. Pythagoras Memphis vates in Aegypto conuenit, a quibus permultorum seculorum observationes accepit. Hinc ad Persas accessit, a quibus calorum & siderum plerasque rationes intellexit. Tum Cretam versus Lacedemoniam iter contulit, ubi Lycurgi & Minois leges ac iura cognosceret. Deinde in eam Italia partem venit, qua magna Grecia dicebatur; in quam primus philosophiam dicitur intulisse. Unde celeberrimum Pythagoreorum est nomen. Plato Aegyptum, magnam Graciam, Siciliam, circumiuit, captus a piratis, coniectus in tyranni potestarem veritus non est capit is sui cum periculo sapientes homines visere, a quibus aliquid addisceret: nec qui magister erat Athenis aliorum discipulus esse erubuit. Apollonius philosophus Persas, Caucasum, Albanos, Scythas, Messagetes, Indos obiuit, atque ad Brachmanas peruenit. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Pœnices, Palestinos, Arabes reuersus Alexandria in Aethiopiam

nauganit, ut cognitionis aliquid ex omni parte libaret. Solon in Ægyptum, in Ciliciam, in Cyprum peregrinatus; nec peregrinus auditor unquam effectus fuisset, si non illum ingens sciendi desiderium in diuersas partes rapuissest. Quid Xenocratem, Crantorem, Arcesilam, Lacydem, Theophrastum, Zenonem, Cleathem, Chrysippum, Antipatrum, Carneadem, Fanetium, Clitomachum, Philonem, Antiochum, Posidonium, atq; innumerabiles alios philosophos memorem, qui in peregrinatione discendi studio citates suas contrinerunt? Cum igitur, Auditores, in homine tantum scientia a morem à natura ingeneratū videmus, quid causa est, cur modicus labor nos à doctrinarum studiis tam facile divertit? An, quia hominis ingenium (ut poëta comicus ait) à labore ad ignaviam procline est? an, quia nondum ullos ingenuarum artium fructus degustauimus? quos si quicquam odorati essemus, nulla res unquā nos a musarum commercio segregaret. Verumtamen, ut in proverbio est apud Gracos, Difficilia qua pulchra: & Poëti ille præclarè. Sic enim vertimus in Latinum:

Virtuteim ante ipsam durum posuere laborem  
 Dij superi. Longa est ad eā via, & ardua primū.  
 Sed tandem postquā licuit cōtingere summum,  
 Fit lenis, tibi quæ ingressu primo aspera visa est.  
 Itaq; industria atq; inertia vias inter se dissimiles esse  
 philosophi docuerunt: quas Pythagora littera in duas  
 partes dimis̄ aptè congruenterq; designat: alteram pri-  
 mò leuem, sed posthac in iucunditatis & asperitatis ple-  
 nam; contrà alteram primò asperam, sed deinde leuem  
 atque iucundam. Quas easdem vias poëta apud infes-  
 ros comminiscuntur, alteram ad Elysios cāpos, alteram  
 in poëtarum loca ducentem; arctam illā & angustam,  
 qua ad vitam ingredimur, hanc latum & patentem,

qua in interitum trahit. Sed queso, Adolescentes, finite animis Xenophontias mulieres, quarum altera voluptatis nomen habet, altera paedie, non aliter vobis, atque Herculii, obuiam fieri, & utrunque nisi vos ad se suis commodis & dignitatibus propositis aduocare, dubitabitis viram insecuri sis? An spreta voluptate virtutem, quae omnia vita nostra ornamenta secum affert? an spreta virtute voluptatem sequemini, qua infinitis malis nos implicat, & aternas maculas turpitudinis & flagitorum inurit? Sunt, nec inficior, sunt radices virtutis amare, verum fructus suaves & dulces sunt. Cuius quidem modi sapientissimus poëta Homerus herbam moly esse confinxit: quam Mercurius ad Ulyssem à summo æthere portavit. at voluptatis dulce initium, felle mixtus est finis. An corporis & fortunæ bona, quæ fluxa & incerta sunt, cum animi bonis ulla ex parte conferemus, quæ nostri iuris sunt firma & stabilia, plena landis, plena honoris, plena dignitatis & honestatis? Quamobrem optimarum artium studia lubenti & alacri animo non solum instigante, sed etiam adiuuante natura suscipite; quibus familia honorem, generi memoriam, Patria gloriam, amicis laudem, vobis totius vita maximos & amplissimos fructus comparabis.

DE UTILITATE  
SCIENTIARVM,

ORATIO II.

**D**VÆ res precipua sunt, Auditores, quibus à brutorum animantium genere & natura distingui-  
mur, Ratio & Oratio: hec hominum societatem copulauit inter se consilium & sensa communicando;  
illa disciplinas & artes innenit, quæ magnarum rerum  
cognitione animum exornarunt, atq; innumeris com-  
modis mortalium vitam explauerunt. Quamobrem im-  
merito de vniuersorum parente natura conquerimur,  
quod ceteris animalibus praesentior, quam homini fue-  
rit; quoniam illis munimenta corporis & ornamenti fa-  
bricauerit, hominem verò nudum in nudam humum  
vagientem atque egentem rebus omnibus absiecerit.  
Nam vt taceam manuum ac ceterorum membrorum  
opportunitatem, quæ ad diuersorum operum muneraq;  
functiones maxima est, virtutes, quas in hominis ani-  
mo inseruit, eiusmodi sunt, ut vita nostra conditio &  
utilitatibus, & dignitatibus, & voluptatibus reliquo-  
rum animalium vietu melior & optabilius effecta sit.  
Quam rem plane cum cognoscetis, cum utilitates ex-  
plicuero, quas nobis artes & doctrinae copiosissime attu-  
lerunt. Et quidem artes omnes ad naturā hominis ad-  
iunrandam & conseruandam reparet & sunt: quibus ea,  
qua desunt, acquirimus, & que adsunt tuemur, & que  
natura sunt imperfecta perficimus. Artium altera ani-  
mū expoliunt, altera corporis necessitatibus deseruunt.  
Hominis autem natura corpore & animo constat. Ani-  
mi vis ea est, qua mouemur, qua intelligimus, qua pro-  
videmus, qua haec ipsa dicimus & agimus. Cuius phi-  
losophoruna

lo sophorū omnīū sentētia duæ sūnt partes , altera par-  
ticeps rationis , altera expers ; mēs , inquā , & appetitus .  
Mēs his potissimē doctrinis excolitur , quā in rerū cog-  
nitione versantur ; appetitus verò his præsertim artibus  
instruitur , quā præceptiones suas ad agendū traducūt .  
Spectat autem ad cognitionē artes ex , quarū finis sola  
scientia terminatur ; nimirum quā rerū naturas &  
vires indagant , nec earū modō rerū , quā aut terra , aut  
mari , aut calo fiunt , causas inuestigant , verū etiam  
diuinarum rerum amplitudinem dignitatemq ; perspi-  
ciunt . Etenim quā in rerum natura sunt omnia vel hu-  
mana vel diuina sub intelligentiam cadunt . Intelligentia  
verò rerum cognitione perficitur . At artes , quā vir-  
tutum præceptis hominum vitam & mores instituunt ,  
ad actionem pertinent . Inspectio scientiæ sūnt , in pri-  
mis ea , quā res caelestes contemplatur philosophia , seu  
primam illam , seu diuinam , seu metaphysicen , seu  
theologiam nomines ; deinde ea , quā natura vires occul-  
tas perscrutatur , physice ob id Graco verbo nuncupata ;  
postremò discipline , quā ab evidentiā ac demonstra-  
tionis præstantia mathematicarum nomē adeptæ sūnt .  
Sed in actiuis doctrinis moralis philosophia consilio &  
forma excellit ; quā viuendi modum , finē , & officia pra-  
scribit . Verū artes , quā ad corporis & vita necessita-  
tes operam suam præbent , fabriles , atque operariae , vul-  
gò mechanica dicuntur . Sed omnium doctrinarum &  
artium quedam quasi ministra sūnt grammatica , rhe-  
torica , dialectica ; quā orationem formāt , prima emen-  
date loquendi , altera ornatē dicendi , tertia probabili-  
ter differendicationem tradens . Quarum munus , quia  
sine lingue societate nec docere , nec discere , nec inter nos  
quicquam agere possemus , tam latè patet , quam hu-  
mana vita limites explicatur . Atqui singillatim cuius-

que artis naturā inspiciamus, ut perspicuū deinde fiat quid unaq[ue]q[ue] valeat, & quā in rē viīlis & idonea sit. Et primas omnium mathematicas disciplinas attingimus, que prime omnīū inbētur à pueris addisci, quoniam ad reliquias doctrinas & sciētias aditum patefaciunt. Quaq[ue] nō ut reliquæ artes tū demū prosunt, cūm perceptæ sūnt, sed proficiunt etiā cūm docētur. Nā animos ad rerū scientiā excitāt, & ingenia exacuunt, & discēdi celeritatē cōparant. Ip[s]am etiā mentē ab iistarīs rerū formis, que oculorū sensu percipiuntur, ad earū rerum quæ nec cerni nec tangi possunt, contēplandā naturam alliciunt. Tractant autem magnitudinem rerum aut diuisam, aut coniunctam. vnde quatuor earum genera profluxerunt. Nam diuisam magnitudinem, hoc est, numeros arithmeticā & musica, coiunctam geometria & astronomiāq[ue] considerant. Et numeros per se quosq[ue] arithmeticā, inter se vero compositos musica perpendit. At coniunctam magnitudinem, si immobilis est, sicut terra, qua in media mundi sede locata non mouetur, geometria ponderat; sin mobilis, quale est celum, quod circat terram perpetua revolutione convertitur, astronomia circumspicit. Ergo in primis arithmeticam numerorum formas & proprietates examinantem spectamus: quam Plato omnium scientiarum præstantissimā esse duxit, quia omnium prima esset: quoniam eius munere artes omnes & doctrinæ maximè admodum indigerent; quaq[ue] Pythagoras arcana & religiosam quādam scientiam contineri censuit, quod numeris vniuersa constarent. Hinc Auenzoar Babylonius, sicut Albusar resert, cum cuncta nosse aiebat, qui numerorum scientiam affectus fuisset. Hinc veteres philosophos & theologos sumnam operam in hac arte nauasse videamus, qui rerum qualitates & naturas certis numero-

rum notis interprunctionibusq; signabant. Quid? quod leuissimum eius usus iatus quoq; est, ut eo ignorato nulla mercatura fieri, nullum negocium inter nos unquam transigi posset? Hanc artem nonnulli repertam à Sidoniis, perfectam à Pythagora volunt: tamē eius initium à natura profectum est, cūm in omnibus hominibus naturalis quedam numerorum notio insit. Quapropter Plato simul & Aristoteles hominem, quod numerare nosset, (neque enim id sine ratione & intelligentia sit) omnium animantium sapientissimum esse dixerunt. Arithmetice affinis est musica, qua à musis nomen accepit, cum numeris modos vocesq; coniungens, ut fabulis proditum est, ab Orpheo & Amphione inuēta; quorum alter feras lyra cantibus placasse, alter saxa testudinis sono mouisse perhibetur: ut vero hystorice tradunt, à Pythagora excogitata; qui in officina fabri ferrarij ex malleorum ictibus internalla sonorum & concentum obseruauit, ac mox rationem harmonia in praeceptiones rededit. Ac, quoniam à natura ad musicam rationem compositi sumus, quæ differentes qualitates tanquam acuta cum grauibus inter se tēperans corporis integratatem quasi concentum quandam effingit, naturaliter certis motibus delectamur. nec vlla gens est tam immannis & barbara, quæ sonos cantusq; non amet. Et quoniam naturalis ingenij motus in primis annis maxime apparent, infantes (quæ etas difficultima tractatu est) quanam alia remagis, quam cantu mansuefiunt? Sed & labores, quos humanae vita conditio secum affert, nonne aliqua symphonia vocis & sono mitigare conamur, tanquam donati hoc à Deo munere, quo vita nostra curas & molestias allevemus? Hinc pastorum calamis, hinc agricolarum carmina, hinc nautarum sonores voces exaudiuntur. Immò etiam ipsæ belluæ cantu

flectuntur atque consistunt. Ac cervos fidibus oblectari, delphinos vocis inflexione teneri plerique rerum scriptores tradiderunt. Aues præterea quam numerose quam modulatè canunt! ita ut non tantum homines natura, sed etiam reliquos animantes harmonia modis imbuerit. Taceo quod multi & granissimi authores litteris mandarunt, Alexina fontem cithara sono permoueri, & quasi ad tripudium excitari, ne inanimatis rebus tribuere sensum voluptatem videar. Sed certè in omnibus uniuersitatis partibus inesse musicam videmus. Nec mirum, cum totus ipse mundus, ut Pythagoræ & Platonis placet, a Deo musica ratione fabricatus sit. Nam illi nouem colorum orbes varia conuersione agitati certis sonorum interuallis diuinum concentum efficiunt: & elementa dissimilia inter se genere amica temperatione secum ipsa consentiunt: atque ita cum summis insimae partes, & cum caelestibus terrestres apta conspiratione conciliantur, ut admirabilis uniuersi temperatio quasi quedam harmonia mente & intelligentia comprehendatur. Anima quoque cum corpore singulari numerorum coniuratione sociatur: ex quibus inter se discrepantibus interitus totius animantis efficitur. Argum hoc est, quod poëtae fatum & fatalia tempora vocauerunt. Ergo musica naturaliter oblectamur, quoniam harmonia quadam efficti & instituti à natura sumus. Et in summo illo celo, in quo beatæ mètes incredibilibus gaudis perficiuntur, laudes diuini numinis suauissimis cantibus celebrari pia nobis religione persuasum est. Quam rem in terris imitari sonos & cantus in diuinis laudibus & sacrificiis adhibemus. Ideò musica priscis temporibus non modo studi, sed etiam venerationis plurimum habuit. Nec verò tantum voluptatem ex capitulo oportet, verum etiam animi quadam moderationem

&amp;

& tranquillitatem. Neg<sub>3</sub>, enim ad solam aurum oblationem, sed ad rectam animi compositionem à Deo nobis data est. Quæ quidem in humanis animis ita dominatur, ut incitare, & sedare, ac ducere quò velit hominem possit. Sic inflamatam adolescentis cuiusdam libidine olim Pythagoræ opera mutato sono restinctam fuisse accepimus. Quamobrem Plato scripsit musicæ leges mutari non posse, quin non etiā reip. status immutetur: quoniam hominum mores diuersis cantibus dissimiliter effinguntur. Accedit geometria, quæ lineamenta, figuræ, intervalla ac magnitudines docet, superioribus disciplinis cognata, cum numerorū scientia confirmetur; humanae vite summopere necessaria; sine quæ domos extruere, vrbes describere, spatia locorum metri, commoda occupare nullo modo licet. Ab eadē regionum maritimarum atq<sub>3</sub> terrestrium cognitionem didicimus, quæ humanam societatem infinitus penè commodis affectit. Eius inuentionem nonnulli Meri nescio cui, nonnulli Ægyptiis tribuunt, quod dimetiēdi modum & rationem primi excogitauerint ad dirimendas de agrorum terminis contentiones, quos magna vis aquæ Nili terram inundantis limo obruebat. Sed à Pythagora tamen exculta, & ab Archimede & Euclide præclarissimis monumentis commendata fuit. Nec immerit nationes, quæ geometriæ sunt expertes; barbaræ habentur, quoniam ea disciplina carēt, quæ humanum viatum perpolinit. Itaq<sub>3</sub>, vox illa Socratici Aristippi laudata adeò est, qui ad Rhodiorum litus aduersa tempestate eiellus cum geometricas figuræ in arena descriptas intuitus esset, socios bono animo esse iussit, quod hominum vestigia conspexisset. Astronomia relinquitur rerum, quas tractat, dignitate præclara. Nam cælorum conuerstiones, siderum motus, astrorum ortu<sub>3</sub> obi-

tuisq<sub>z</sub> considerat. Quæ vero ex stellarum certo cursu a-  
 spectuq<sub>z</sub> in natali chiusq<sub>z</sub> die res futuras prævuntiat,  
 Astrologia proprius nominatur. Et quidem huius dis-  
 cipline peritis licet ea prædicere, quæ vi calorum effi-  
 ciuntur, ut tempestates, imbres, ventos, frigum ubertati-  
 tem, agrorum sterilitatem, morbos, agrotationes, vale-  
 tudinem, ea nimirum ratione, quæ rerum corporearum  
 que sub lunari orbe sunt, vis ad celestes siderum orbes  
 potestatemq<sub>z</sub> defertur. tamen eorum, quæ in nostra vo-  
 luntate posita sunt, prænotionem veram nullam habet:  
 quandoquidem animus ut ab omni mortali concretione  
 solutus, sic ab astrorum imperio & dominatu liber est.  
 Quanquam bene gnaris astrologis non inficior licere na-  
 turales hominum ad virtutes aut vitia propensiones no-  
 tare, quatenus animi varie aut ad iram, aut ad libidi-  
 nem, aut ad mestitiam, aut ad hilaritatem ex dissimi-  
 li corporum confectione magis afficiuntur: quæ nō igno-  
 ramus ex quatuor elementorum qualitatibus diversa  
 ratione componi. Quas voluntatis inclinationes ratio-  
 ne tamen regere & moderari possumus nos, qui in no-  
 stra potestate nostrarum actionū principium tenemus.  
 Atq<sub>z</sub> hoc sane est scipsum vincere, hoc est astris domi-  
 nari, videlicet naturales proclivitates & motus tem-  
 perare, quibus stelle corpora, corpora animos afficiunt.  
 ita ut si nostros animos ad rem quampliam astra impel-  
 lant, non cogant tamen, alioquin stellis ita vim omnem  
 tribuere, ut quecunq<sub>z</sub> in terris fiant, earum virtute fiat,  
 isthuc esset fatū afferere: quod Christiana religio dam-  
 nat. Nullum enim recte factum iure tum laudaremus,  
 nullum malefactū reprehenderemus; atque immerito  
 virtuti premium, virtio pœna nulla daretur, eo quod vo-  
 luntatis libertas nulla esset. Nec sapientes isti vident  
 se Dei maximi potestatem tollere, cum calorum virtu-

et inferiorem eam constituant. Verum ipse est celi ac  
terra moderator & author, prima & princeps omnium  
rerum causa; cui reliqua cause totam vim suam in ac-  
ceptu referunt. Sed ne alio euagemur, astronomia & prin-  
cipes & authores inquiramus non indignos maximis  
honoribus, qui mortalium vitam plurimis & ingenti-  
bus commodis amplificarunt. Nam ad res opportunè  
gerendas dies, menses, annos ritè discreuerunt; ac seren-  
di, medendi, nauigandi tempora docuerunt, quorum  
ignoratione granissimis periculis hominum vita vexar-  
retur; & ab his caducis & fragilibus rebus ad celestes  
& diuinis humani animi cogitationes traduxerunt.  
quas dum summius, in patriam remigrare, & in supe-  
ros quodammodo euolare videmur. Astrorum cogni-  
tionem nonnulli Atlanti Iapeti ex Libya filio adscri-  
bunt; quem in sui nominis montem conuersum fuisse  
poëta configunt, ac Torquere axem humero stellis ar-  
dentibus aptum. Aegypti vero sibi vendicant; qui ex  
quartæ lunæ observatione futuros ventos ac tempesta-  
tes prenotasse feruntur. A quibusdam Assyrii siderum  
scientiam effecisse putantur; quod astrorum conuersio-  
nes & motus obseruare commodiis illis fuerit, qui re-  
gionem planam & celum vndiq. apertum sortiti essent.  
Quia in natione Sidonij maxime excelluerunt; quippe  
qui cum mercibus in diuersas oras nauigarèt; & Chal-  
dai non ex artis, sed ex gentis vocabulo sic nominati.  
qui tantum in hac arte sibi sumpserant, ut prædicarèt  
se ex natali die cuiusque vita qualis esset futura posse  
prædicere. Verum astrologorum prædictionibus & pro-  
missis credere nos religionis nostra principes velant.  
Astronomorum tamen solertiam & machinationem  
laudant, quod res sublimes & à nobis oppidore remotas  
ingenij sagacitate indagarint, & eorum cum terra so-  
cietas

cietatem & communionem expresserint. Cuius rei cognitione commoniti non de huius vita exigua luce, sed de illa perpetua & aeterna cogitare debemus. Et quoniam de mathematicis disciplinis satis multa diximus, ad Physicen veniamus: quae rerum naturalium occultas causas aperit, & in lucem vires abditas prodit. Nec verò eius munus est diuinis mentes, & res quae sensum effugiunt, perscrutari, sed indagare mixtas atq; cōcretas, earumq; naturas & originem nosse. Et mathematica quidem discipline formas tractant, quae oculis cernuntur; physice verò formas expiscatur, quae sub oculorum aciem non cadunt. atq; illae formas à corporibus, in quibus insunt, cogitatione sciungunt; hac non separat, sed quae vi quōne pacto res corporeas & aspectabiles afficiat exquirit. Quae mihi rerum, quae generantur & intereunt, causas ex natura, tanquam ex Hercule clauam enlississe videtur. Nec à nobis laudari satis unquam potest ob ingentes utilitates, quas ad degendam bene actuò vitam inuenit. Evidem natura nostra quae infesta quae amica, quae aliena quae cognata, quae noxia quae salutaria essent edocuit. unde prognata medicina est mendendorum corporum magistra, vel Gabilonij Arabi, vel Solis Cali filij, vel Apollinis, vel Aesculapij Epidaurij inuentum. Tum multa superstitione nos liberavit, dum obscuras multarum rerum causas explicuit, ut terrae motuum, aëris cōflagrationum, eclypsis solis ac luna: quae causas ignorantium mentes vana religione non sine magno cum metu inficerent. Præterea voluptates & gaudia, quae naturalium rerum scientia parit. Quibus allecti pleriq; in solitudinem concesserunt opes & patrimonia negligentes, ut liberius naturæ inquisitioni ac contemplationi vacaret. Nata verò physice ex admiratione dicitur: quoniam ingeniosi homines ignorantes

rantes vnde tot res tam varie atq; inter se genere dissi-  
miles orirentur, admirantesq; tantam naturae vim atq;  
præstantiam causas inuestigare cœperunt, quæ res istas  
efficerent. Cum vero permulti naturæ scrutatores fuer-  
int, difficile est unum aliquem inuentorem physices in-  
uenire. In his est Thales Milesius, Empedocles, De-  
mocritus, Heraclitus, Anaxagoras (¶ quidem singu-  
los enumerare nimis operosum esset) quos omnes Ari-  
stoteles Stagirites ingenio & diligentia superauit. Ex  
rerum naturalium indagatione docti homines Dei no-  
titiā affecuti sunt: quandoquidem ex effectis rebus ad  
efficientes causas tanquam gradibus quibusdam conscen-  
dentes vnam postremò & principem omnium causam  
innuenerunt. Siquidem vniuersi unum principium esse  
oportet aeternum & immortale, quod se ipsum nunquam  
deserat, & omnes virtutes complectatur, qua in singulis  
rerum generibus insunt. Hoc autem principium Deus  
est, qui nullo ortu generatus omnia ipse creauit, mode-  
ratu atq; gubernat, ex se existens, totius boni fons &  
origo. Sic igitur metaphysice, seu theologia nata est,  
qua præter communes omnium rerum & vniuersales  
proprietas ac rationes diuinæ etiam mentes, & uni-  
uersi fabricatorem & rectorem Deum intuetur. Igitur  
Theologia non corporum formas & magnitudines, non  
rerum naturalium causas & vires, sed præcipue res di-  
uinæ immortalesq; considerat. Dei vero cultus religio  
est sedes omnium virtutum, vivendiq; præceptrix: qua  
homines moribus & studiis inter se cociliat, leges san-  
cit, iura corroborat, ciuitates instituit, resp. conseruat:  
qua deniq; sublata omnis vita ratio tollitur. Et de diis  
quidem apud Persas Magi, apud Indos Brachmanes,  
apud Aegyptios sacerdotes, apud Græcos Orphici, Py-  
thagorici, Platonici disputatione. Qui ut intellexerint  
Deum,

Deum esse, quia necesse est procreatarum rerum pro-  
creatorem aliquem esse, tamen qualis esset nullis rerum  
vestigiis odorari potuerunt; nimis quia nulla res in  
mundo est, quae diuini numinis vim uniuersam & pro-  
priam potestatem concipiatur. Nobis vero iacentibus in  
terrimis tenebris ignorationis Dei Deus & homo  
Christus caeleste lumen porrexit; quo verum Deum cer-  
neremus, atq; illum pie ac sancte coleremus. Quamob-  
rem nostra theologia, sic appellata non solum quia de  
diuinis rebus differit, sed etiam quia nobis a Deo pro-  
nuntiata est, non tantum Deum esse; id quod ratio na-  
turalis facit: quippe in omnibus hominibus natura Dei  
quandam opinionem inseruit: verum etiam quis sit de-  
monstrat, & modum simul proponit, quo ipsius benevo-  
lentiam nobis & amorem conciliemus: qui solus potest  
hominem cunctis bonis & letitiis sempernisi explore.  
Quis modò igitur non videt quantum nostri priscis il-  
lis theologiis anterēendi sint? Nam illi naturales dum  
taxat rationes sequuntur, que diuini numinis digni-  
tatem & naturam explicare non possunt; cum produ-  
ctis rebus amplior sit. Quas quidam sequunt multa re-  
merè tanquam insani effutierunt a Dei maiestate &  
sanctitate aliena. Nos vero sacras & diuinias enuncia-  
tiones tenemus: que verissima sunt, & ad comparanda  
beatam uitam necessariae. Ac proculdubio si notio ve-  
ritatis beatum hominem facit, nos veri Dei cognitione  
beati efficiemur: qui ipsamet veritas est; cum nihil sine  
Deo in rerum uniuersitate sit. Hec prima, quia omnium  
prestantissima; hac caelestis philosophia est, quia res au-  
gustas & diuinias exponit. quarum contemplatione gal-  
lum nutritire, hoc est, mentem pascere Pythagoras iube-  
bat. Sed quando eas scientias euoluitus, que hominis  
intelligentiam persciunt, commōstremus eas, quae viro  
tutum.

tutum & honestatis preceptis appetitum informant.  
Quia philosophia pars quia mores animi affectionesque componit, moralis appellata est: appellata etiam actua, quia moralis virtus in actione consistit. Neque enim iustus est, qui quid iustitia sit nouit, sed qui res iustas agit. Hac philosophia nonnulli à Socrate è calo in terras euocatam aiunt, quod neglecta naturali philosophia se totum ad rectè viuendum cōtulerit. Alij Pythagoram censem apud Crotoniates, Heraclientes, & Metapontinos eam primum docuisse. Sed ante hos ego plures alios sapientes viros extitisse existimo, qui in rationis luce versantes quid honestū, quid turpe esset viderint, atq; alius viuendi vias & precepta tradiderint. Et quia nostrarum actionum normam ratio prescribit, ratio vero Dei donum est, moralis philosophia munus est inuentumque diuinum. Et quid hac philosophia melius est? quid diuinius? quae societatem hominum communiamque custodit? Quæso priscos homines intuemini, qui passim in agris & montibus dissipati omne tempus attatis sine ullius doctrine & scientia studiis bestiarū more degabant, quam omnis virtutis & cognitionis expertes fuerint, nulla religione, nulla pietate, nulla benevolentia & communione coniuncti, nihil honestum, nihil rectum, nihil homine dignum & laudabile cogitantes, primati his commodis & ornamentis vita, quæ nobis ingenuæ & liberales artes attulerunt. Sed postquam à ferino & silvestri more viuendi auocati, & in hunc humanum & ciuilem vietum deducti sunt, Deum colere, iustitiam retinere, honestatem conservare, communia utilitati studere, artes ad vita usus necessarios efficere, morum & vita precepta describere cœperunt: que hominum cœtus mura consuetudine inter se commode & honestè tinentur. At quis dissipatos in agris homines

in vnum coegerit? quis officiorum precepta instituit? quis  
vitia evulsit, & virtutes inseruit? quis ex immanibus  
& feris mites ac mansuetos reddidit? Hec, quæ nunquam  
satis à quoquam laudata, est philosophia, mater & cu-  
stos honestatis. Tres autem in partes ethicam, œcono-  
micam, & politicam distribuitur. Ethica singulorum  
mores informat; œconomica familiam temperat; politi-  
ca remp. administrat. Ciuitatis vero forma & funda-  
mentum lex est, ratio, inquam, quæ facienda, & qua  
contraria fugienda sint iubens. Quare è morali philosophia  
leges ortæ sunt: sine quibus nulla ciuitas staret, nulla  
societas communio, nulla vita instituta, nulla pietas  
& religio inter nos esset. Iam vero artes operarie, quæ  
res ad vitæ usus pertinentes subministrant, vt agricul-  
tura, vt fructuum reliquarum perceptio & cōseruatio,  
vt earum rerum, quibus abundamus, exportatio; &  
quibus indigemus, inuectio, vt nauigatio, vt mercatu-  
ra, vt ferri, æris, argenti, auri effosio, vt tectorum, qui-  
bus ab iniuriis cœli nos defendimus, edificatio; vt agris  
subueniendi, valentes oblectandi, victum & cultum  
administrati artes ita humano generi necessarie sunt,  
vt nulla sine illis vita omnino degi possit. Quæ quoniam  
plus utilitatis quam dignitatis habere videntur, a me-  
lenius attinguntur. Et veteres quidem illi propter in-  
gentes, quas creār, utilitates ipsarum inuentionem sic-  
ut ceterarum scientiarum diis immortalibus conse-  
crarunt. Sic agrorum culturam Saturno & Cereri,  
emendi ac vendendi institutionem Libero, lanificiam  
Minerue, fabrilem artem Vulcano, nauigationē Ne-  
ptuno, edificationem Tōxo Celi filio attribuerunt. Et  
Ægypti non inscītè Mercurij nomen in suis libris in-  
scribebant, quod artes & doctrinae nō hominum essent,  
sed munera & inuenta deorum. Ex his docti homines  
artium

artium tria genera statuerunt; inspectuum, quod sola rerum inspectione contentum est; actuum, quod ad agendum refertur; factuum, quod opus aliquod post operam relinquit, quod oculis subiiciatur. Hac enim vis huic verbo facere à philosophis subiecta est. Primi generis sunt mathematicæ discipline, physice, ac metaphysice: in altero genere moralis philosophia ponitur: ad tertium fabriles & operarie artes reducuntur. Itaque artes omnes & doctrine aut inspectione, aut actione, aut factione continentur: quibus hominis natura, quæ animo & corpore consistit, adiuuatur atq; perficitur. Hoc enim à principio explicare proposuimus, nimirum artes omnes atq; scientias ad adiuuandam & perficiendam hominis naturam inuentas fuisse. Quod pro tempori ratione satis à nobis effectum esse opinor. Sed quoniam sine lingua & oratione famula rationis nulla inter nos societas & vita quasi communitas esset, aliæ factæ sunt artes, que sermonem instruerent, grammatica, inquam, rhetorica, & dialectica: quarum prima (ut antè dictum est) tradit rectè loquendi, altera ornatè dicendi, tertia probabiliter differendi præcepta, quæ tam latè patent, quam se vita hominis animusq; diffundit. Ac principium cuiusque discentis grammatica est, ad reliquas doctrinas ianua. Nec ad summa nisi per infima venitur. Ut autem locutio certa quadam ratione costaret, nec vitiosa esset aut barbara, ad doctiorum usum loquendi conformata est. Inter grammaticos Apollodorus magno ab Amphitryonibus honore decoratus excellit. Tantumq; authoritatatis olim grammaticis fuit, ut essent librorum, qui vel recipiebat vel contrà rei- ciendi forent, iudices atque censores. In quibus Aristarchus maximum ius habuit censoria seueritate insignis. At rhetorica docet ornatè & copiose dicere, in foro ac

indiciis nata. Siquidē Oratores ut indicum metes sibi cōciliarent, orationis ornatum machinati sunt, quo audiētū animos mirificē capi sentiebant. Sed ad alias res pertractandas eloquentia postmodum adhibita est. Inuentores autem rhetorices Tisiam quendam & Coracem Siculos memorant: sed apud Homerum Phœnix quidam est Achilli à parentibus datus intelligendi ac dicendi magister. Ceterū Dialecticæ præceptis ratio & oratio completur. Nam & verborum notiones, & rerū consecutiones aduertit, manatq; per omnes sapientiæ partes rerum momenta ponderans, ac cuique rei quid consequens, quid repugnans sit indicās. Quid autem hominis magis proprium est, quam constanter & probabiliter loqui? In hac arte Stoici & Peripatetici præ ceteris philosophis se exercuerunt. Sed quemadmodum ceterarum scientiarum & virtutum semina, sic etiam dialecticæ principia nobis à natura insita sunt: verūm à summis ingenii deinde culta, ac postremo ab Aristotele perfecta est. Tandem igitur, Auditores, cum tot tantasq; utilitates conspicimus, quas humano generi scientiæ pepererunt, de parente natura conqueri desinamus, quod iniquior nobis, quam brutis animalibus fuerit. Nam plura ac maiora vita adiumenta & ornamenta ratione & oratione comparauiimus, quam aut illis à natura data sunt, aut ab eadem nobis subministrata fuissent. Sed ne nobis ipsi desimus cauendum est. Deerioris autem nobis, si bonarum artium studia & disciplinarum contempserimus; quibus hominis custos & procuratrix sapientia mater omnium virtutum atque regina fouetur. Verūm ad ea liberales & ingenuos homines cohortari superuacaneum est; quos amici cultus & honestas satis ex seipsa delectat.

# DE CONSENSV DISCIPLINARVM.

## ORATIO III.

**S**Æpenumerò, Auditores, mirari soleo cur plura corporis viribus, quam animi motibus tribuamus; qui celeritate ac virtute longè & multum corpori antecellit. Nam valentes homines suspicimus, illorumq; facta magnis laudibus & honoribus amplificamus: homines ingeniorum vi & solertia prestantes nullis meritis exornantur. An quia oculorum sensu non cernimus quis qualisq; sit animus, ob id eius dignitatē & præstantiam negligemus? At qui ne Deum quidem videmus; quem nihilominus summa religione & ceremoniis veneramur, colimus, & precamur. Verum animus vna tatum honestate contentus esto; neq; ullam aliam mercedem laborum suorum præter virtutem requirat, qua satis decora & laudabilis per se ipsa est, alio lumine nō egēs, quo illustretur, quam suo. Probentur apud imperitam multitudinem corporis studia, & digna præmia consequantur, arescētes inquam laureas, & ex ære aut marmore statuas; qua vel inimicorū iniuria, vel temporum iniquitate facillimè evertuntur. At ingeniosi & docti homines omne studium suum in colendis rectis artibus ponunt; qua sapientis animi formam speciemq; perficiunt. Quamobrem hodierno die mihi propositum est disciplinarum concentum explicare, qui mira voluptate vos (ut spero) delectabit, cum ad cogitandum de optimo animi statu & conditione vestram mentem inducat. Evidem ut omnes virtutes uno quodam consensu copulantur, sic omnes artes atq; scientiae inter se certa conspiratione iunguntur. Nam primū quia nulla vir-

tus ratione vacat, nulla sine prudentia intelligi potest; que est rerum experendarum & fugiendarum cognitio. Docet enim voluptates, quae absunt, non experere; & ab his, quae adsunt, abstinere: mox venientibus malis obstat, ac tolerare & perferre presentia: tum Deum colere, parentes honorare, magistris obsequi, creditis in rebus fidem retinere, in animaduertendo lenitate, in amicitia benivolentia & liberalitate vti docet. Atq; ut a capite reliqua membra, sic cetera virtutes a prudentia deducuntur. que idcirco s̄pē aliis vt vim, sic etiam nomen suum impertit. Sed ipsam quoq; prudentiam & temperantia custodit, ne voluptatum blanditiis depravetur, qua mentem ē sua sede disturbant; & fortitudo a malorum metu liberat, qui grauius turbare animum solet; & iustitia sonet rerum & qualitate seruata. Iam iustitia, quae in suo cuig; dando cernitur, ut in ceteras virtutes equalitatis usū se ipsa diffundit, sic illarum quoque societatem asciscit. Neque enim seruari nisi a temperato, nisi a forti, nisi a sapiente viro potest. Itaque uno suo nomine frequenter omnium virtutum vocabula complectitur. Videturq; mihi a prudentia rationem survari, cum aquabile nihil sit, quod a ratione nō proficiatur. a fortitudine constantiam, nō enim iustus est, qui constantem & perpetuam vnicuique ius suum tribuendi voluntatem non habet. a temperantia modum, sine quo iniustitia euaderet. Adhac fortitudinem non solum, vt est in comuni proverbio, fortuna adiunat, sed multo etiam magis ratio, quae quibusdam quasi preceptis vim illius confirmat. Eam quoq; temperantia corroborat, dum corruptelarum illecebris debilitari non patitur: nec iustitia sustinet a suorum & patriæ charitate diuelli. Ipsa vicissim constantiam, & nomen suū cum aliis virtutibus communicat. Nam cùm virtutis no-

men

men suum proprium sit (dicta est enim à viro virtus: viri autem propria est fortitudo) illud ipsum in reliquas animi rectas affectiones deriuat. Ac meritò virtutes omnes hoc uno nomine appellantur, cùm in omni virtute constantia insit. Postremo temperantia rationis expers non est, & a voluptatum insidiis prudentiam ipsa tuetur, & reliquas etiam virtutes in suo statu conservat, habens à fortitudine firmitatis, à iustitia & qualitatis auxilia. Ex quo, quia ceteris modum prescribit, modestia; & quia cunctas animi affectiones recte componit, temperantia dicitur, quedam quasi animi conformatio, affectionumq; concentus. Quamobrem non inscīte virtutes omnes hoc uno temperantiae nomine à doctis viris aliquando signatae sunt. Cùm igitur inter se ita nexa & iugatae sint, ut alia ab alia separari nō possit, nemo unquam unam virtutem habebit, qui omnes non habeat. Siquidem est in omnibus promiscuè ratio, equalitas, constantia, & modus. Ratio prudentia, & qualitas iustitiae, constantia fortitudinis, modus temperantiae proprium munus est. Ac licet ratione quadam à philosophis distinguantur, tamen omnes omnium compotes sunt, atq; unaqueq; vim aliarum nomenq; participat. Non secus, Auditores, apta connexione copulatae inter se disciplinae sunt, cùm alia aliarum sive comple-  
xuq; recipiatur. Quam doctrinarum coniunctionem, & quasi chorū in orbem deductum Græci εγκυροπαιδῶν appellant. Habent enim artes omnes atq; scientiae communia quedam quasi iura, quorum vinculis inter se amicè & benebole vinciuntur. Ad quarum concentum explicandum arbitror necesse est in primis disciplinarum genera quot, & qualia sint ostendere. Sic enim illarum cognitionem, & ordinem, quo inter se innēt & consistunt, melius intelligemus. Ac disciplinarum-

quidem genera & ordinem ex sapientissimi Salomonis  
libris optimè comprehendimus. Is enim, cui dedit Deus  
(ut ar enim iis de verbis, quae in sacris monumentis scri-  
pta sunt) prudentiam, & sapientiam multam valde, &  
altitudinem cordis, sicut arenam, quae est ad oram ma-  
ris, & multiplicata est in eo sapientia super omnes an-  
tiquos filios hominum, & super omnes sapientes Aegy-  
pti; is, inquam, tres rerum scientias tribus libris com-  
plexus est, moralem, naturalem, atque diuinam. Quippe  
in Proverbiis vitam hominum & mores ad virtutem  
informat: in Ecclesiaste rerum aspectabilium naturas  
inquirit; quas cum fluxas & caducas reperit, negat ho-  
mini ad beatè viuendum satis esse: in libro vero, qui  
Canticum canticorum inscribitur, multa de diuinis &  
celestibus rebus edifferit. Quas disciplinas, Auditores,  
dum sacras paginas euoluo, tribus summorum viro-  
rum nominibus ordine prescriptas cerno, Abraham,  
Isaac, & Iacob. Abraham Dei maximi dictis audiens  
moralem; puteos verò fodiens, rimansq; profunda Isaac  
naturalem; at castra cæli, domum Dei, angelorū sca-  
las intuens Iacob diuinam scientiam designare vide-  
tur. Quorum virorū nominibus Deus ipse appellatur,  
Deus, inquam, Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob;  
quod eius concessu atq; munere nobis omnis cognitio &  
scientia data sit. Graci verò cum ista genera doctrina-  
rum à Salomone accepissent, quo inferiores atate fue-  
runt, suis deinde libris accurato & exquisito verborum  
ornatu commendarunt, ac posteris quasi propria inuen-  
ta tradiderunt. Tamen omnis cognitio & doctrina à  
diuinorum scriptorum fonte dimanat. Nunc quia do-  
ctrinarum genera ostendimus, cognitionem, qua inter-  
se aptæ & connexæ sunt, contemplemur; simul etiam or-  
dinem, quem seruat inter se, tenebimus. Sed prius quam  
vim,

vim cuiusq; & naturam aperiamus, explicanda sunt artes eae, quae vulgo à sermone verbo Graeco λογική nuncupantur, ceterarum scientiarum & doctrinarum quasi famulae quedam & ministrae. Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Harum prima dat precepta Latine loquendis; altera ornatè dicendi; tertia probabiliter differēdi. Grammatica cuiq; discenti in primis necessaria est, si ne ullo vitio pure & emendatè loquendi magistra, ruditibus ad omnes doctrinas viam & ianuā patefaciens. Itaq; pueris prima omnium proponitur. Rhetorica orationem polit distinguendo verbis, illustrando sententiis, ornando figuris; atq; omnem doctrinam mira suauitate aspergit, & elegante cultu exornat. Cuius equidem dignitate nihil praeclarius, nihil laudabilius, nihil præstatius & admirabilius esse existimo. At Dialectica quomodo constanter loquamur docet. Id quod hominis proprium esse debet. Complet enim orationē & rationem: que verborum notationes perpendit, & rerum consecutiones diuidicat. Eius nos opera rem definire, genera differtire, sequentia adiungere, perfecta concludere didicimus. Quoniam vero perspiciendi quid in quaq; re sit, & iudicandi quale quidq; sit viam & rationem tradit, omnibus doctrinis atque scientiis necessaria est; ne qua in exquirendis rerum causis & naturis captiosa ignoratio nos à vero dinellat. Ob id ars artium & scientia scientiarum vulgo ab omnibus nominatur, quia ad omnem philosophiam primum quasi gradum & aditum iacit. Iam vero primum studium eius erit philosophiae, cuius beneficio rerum humanarum & diuinarum cognitionem adepti sumus. moralis dico: que voluptatibus irretitum hominem liberat, & in cæca virtutum caligine iacentem in virtutis lucem educit: qua illustratus humana & diuina iura cognoscit, ac vera

a falsis, & ab honestis turpiaritè prudenterq; discernit. Sane male affectus animus & inconstans in magna rerum obscuritate versatur; & velut fluctibus perturbationum in diuersas partes agitatus nullius rei scientiam contingere potest. Et in malum animum nō intrare sapientiam sacra scripta testantur. At qui moralis philosophia, que cultura animi est, vitiorum radices stirpit, euellit, & rationi non obtemperantes motus refrenat. Verum ut ordine prima est, sic etiam est quodam modo postrema. Nam, vt fileam quod longo bonarum, & honestarum actionum vsu confirmanda est, catenis rerum quaevis scientia probatur, quatenus virtutum adiumentis nos ducit ad summum extremumq; bonorum. Quocirca dignissima est, & hominibus maximè utilis. Etenim reliquæ discipline sola rerum inspectione contentæ sunt; hæc preter cognitionem etiam virtutis usum exposcit: quo felicitas, hoc est, humani animi perfectio & absolutio comparatur. quandoquidem intelligentia diuinis mentibus similes sumus, sensu brutis; at virtute, que affectus animi moderatur, à ceteris secer-nimur. Quo de bono, ac de propria possessione gloriari constanter & liberè possumus, quam cum aliis minimè communē habemus. Nec est illa alia philosophia, que latius pateat, quam hæc; qua nulla etas nullum genus, nulla hominum conditio vacare potest. Sed nunc illam in suas partes distribuamus, que etiā inter se arcto quodam vinculo & quasi cogitatione quadam continentur, ethicam, œconomicam, & politicam. Ethica vniuersi-iusque animum, mores vitamq; componit: œconomica rei familiaris & domus gubernationem designat: politica rerump species administrationemq; definit. que dum civili & vniuersa utilitati studet, singulorū quoque vita & moribus prospicit. Ac tria hominum gene-

ra facit, vrbananum, rusticum, militare. Urbanum in cōformandis & emendandis ciuium moribus, in controuersiis & litibus componendis, in disceptando & consulendo positum est: rusticum ad culturam agrorum: militare ad tuitionem urbis & ciuitatis pertinet. Quae genera, sic etiam amica inter se sunt, ut mutuis admiculis susteniētur. Ceterū ad coēcendū pœnarum metu à vitiis homines, & ad virtutem præriorum spe cohortandum, leges sanxit, iura descripsit, iudicia constituit: que faciunt, vt iustitia fructibus pace & otio liberè ac tiro fruamur. Nec verò ciuitates bene gubernarentur, nisi familia bene regerentur; nec familia bene regerentur, si non cuiusque mores bene instituerentur. Nec sunt iidem omnium mores. siquidē alia iuuenum, alia seniorum, alia magistratum, alia priuatorum, alia ciuium, alia peregrinorum studia & officia sunt. Que qualia esse debeant, una moralis philosophia decernit. Cuius partes sic inter se congruunt & coherent, vt nulla ratione diuelli queant. Quamobrem vt Sol ceteris sideribus hoc augustior, quo latius lumen suū tendit; sic moralis philosophia nobis eo venerabilior, quo amplior eius est vsus. quippe bonum quo magis se aliis communicat atque diffundit, hoc præstantius est atque diuinius. Huius philosophia, sed elegantiores & potiores, alumni sunt Poëta, Historici, & Oratores: quo rum omnium finis est hominum vitam ad virtutis speciem effingere. Sed poëta fictis exemplis, veris historici, oratores vero & equitatem defendendo, utilia consuledo, recte facta laudando, iuris peritis affines. qui cum interpres legum sint, ex huius famulatu semouendi non sunt, que leges sciuit atque composuit. Ubi igitur moralis philosophia præceptis humanus animus perturbationum morbo leuatus fuerit, valens erit ingenij sagacitate

gacitate rerum naturas venari, & ex mentis oculis retranne depulsa, quam appetitionum astus obiecit, veritatis lumen aspicere. Atque hoc nimis est illud Pythagoræ præceptum, ne inter sacrificandum vngues resecemus, videlicet, ne res contemplatione dignas animi cogitationibus prius attingamus, quam philosophia doctrina quasi falce malas cupiditates atque libidines amputauerimus. Rerum duo sunt genera: vel enim corporeæ sunt & aspectabiles, quæ sub sensu cadunt; vel simplices & incorporeæ, quæ oculorum sensum effugient: illarum perscrutatrix est physice, harum metaphysice. ad utramque mathematicæ discipline viam & adiutum muniunt; sic appellatæ, quod certissimæ sint; quæ semper ex concessis probatisq; demonstrationes eliciunt; & qui illas capiunt ad percipiendam quarumvis rerum cognitionem magis idonei sunt; nec ut reliquæ artes mentis inuestigatione parantur, sed cernentibus nobis a præceptore planissimè ostenduntur. Quæ quia ingeniorum solertia augment, & discendi alacritatem ingenerant, & ordinis vim explicant, & conclusionis modū docent; priscis temporibus tanquam doctrinarum omnium rudimenta pueris prime, quas discerent, proponebantur. Adde quod imitatione percipiuntur, qua pueri maximè detinentur. Nunc ita iacet, ut vix ab eruditissimis hominibus agnoscantur. Verum Pythagorici, Platonici, Peripatetici neminem ad physicæ studium accedere permittebant, qui mathematicis disciplinis excultus non esset; quod istorum doctrinarum imperitum ad rimandum res abditas à natura minus habilem aptumq; censerent. Sed ipsarum natura breuiter explicanda nobis est, ut aditum cernamus, quem ad physicam & metaphysicam aperiunt. Arithmeticæ & musica diuisam magnitudinem, coniunctam geometria & astronomia tractant.

tractant. Quæ coniuncta magnitudo vel stabilis est, & non mouetur, sicut terra, quæ in medio mundi fixa sua se vi ac nutu tenet; vel mobilis, quale est cælum, quod circa terram in se summa celeritate conuertitur: illam geometria, hanc astronomia inspectat. Diuisa vero magnitudo numeri sunt, quos per se quoque arithmeticæ, inter se vero compostos musica expendit. Ac porro arithmeticæ, quæ numerorum formas & proprietates considerat, meritò est omnium doctrinarum prima; cuius nempe opera reliquis doctrinis usui est. Musica durum & silvestre hominis ingenium mollit, atque animum alacriorem ad persequendum rerum cognitionem reddit. Geometria vero & astronomia arithmeticæ simul & musica auxiliis innixa terre ac cæli formam inspi- ciunt: sed tamen astronomia in suo munere utitur etiā geometricæ artificio, lineis inquam figuris, & inter- uallis: quæ & ipsa numerorum cognitione continentur. Sic mathematicæ discipline inter se connexæ & copulatae sunt. Nam sine arithmeticæ geometria disce nequit; cum linearum & figurarum descriptione prior numerorum cognitione sit; atq; ex numeris inuenta linea, & ex lineis productæ figura. Tum omnis harmoniæ ratio numeris & figuris constat: quæ nihil aliud est, quam ad numeros aptè cadens vel vocum, vel corporum percussio. Ad hæc astronomia geometricas figuræ ad cælorum orbes conuersionesq; docendum, & musicas ratios usurpat ad explicandam harmoniam, quam celestium globorum differentes conuersiones efficiunt. Nec si corporum formas disciplina mathematicæ considerat, tamen illorum naturas etiam inquirunt; sed ipsas formas à corporibus, in quibus fixæ oculis cernuntur, cogitatione secernunt; ac quasi vi sua, nullius certi corporis descriptione contentas certa ratione pertractant. Vnde à physica

à physica hoc differunt, quod illa corporum insitas vi-  
res, & pro natura habitu materiam afficientes formas  
indagat; hæ rerum corporearum aspectabiles figuræ, sed  
tanquam alienas à corporibus evoluunt. Quamobrem  
non tantum ad physicæ, sed etiam ad metaphysicæ do-  
ctrinam utilis est mathematicarum disciplinarum co-  
gnitio. Atq; ante physicam discendas ob id Plato exi-  
stimauit, quod ex figurarum tractatione opportunius  
in idearum contemplationem veniretur: que innume-  
rabilibus eiusdem generis individuis communes atque  
universales quedam rationes sunt, quas sola mēs & in-  
telligentia comprehendit. Ad metaphysicæ verò studiū  
hoc conferunt, quod à corporearum rerum, ad incorpo-  
rearum & simplicium inspectionem mentem allicit.   
quandoquidem simplices formæ & ab omni concretio-  
ne mortali non solum cogitatione sed etiam re separatas  
metaphysica intuetur: quales diuinæ & cœlestes intel-  
ligentia sunt, quos angelos Hebræorum more nomina-  
mus, nuntios & ministros Dei. Ac quemadmodum hi,  
qui è tenebris in apertum aëra eundunt, non prius au-  
dient Solis lumen aspicere, quam minorem lucem susti-  
nere tentauerint; sic qui res physicas tractant, non prius  
ad diuinarum contemplationem accedunt, quam ma-  
thematicis disciplinis animum à societate corporis auo-  
care didicerint. Itaq; ab his rebus, quæ sensu comprehē-  
duntur, ad eas, quæ sensum omnem effugiant, per ma-  
thematicas disciplinas, quasi per pontem, trahi cimus;  
cùm in his versentur, quæ partim sensibus obiiciuntur,  
partim à sensibus remota sunt. Atq; ob hanc maxime  
causam hoc sibi nomen arrogasse videntur, quod ad con-  
templandum res diuinæ mentem adducant. Ob idq;  
Plotinus censuit primas adolescentibus tradi oportere,  
quod earum tractatione mentem à sensibus abstrahere

con-

condiscant. Verum attendamus operam, quam naturalis philosophia nobis ad metaphysicen praefat. Sed tamen antea qua in re versetur inspiciamus. Est autem eius officium, rerum quae sensu percipiuntur, naturas venari, ac quomodo quid, generetur & intereat exprimere. Quae mundum in duas partes non aliter atque astronomia diuidens, etheream, in qua stellarum sunt conuersiones semper terne, & eam, quae terram, aquam, aerem, & ignem complectitur, non ut mathematicae discipline aspectabiles illarum formas, sed insitas vires & proprietates inquirit; ac quae res in utraq; mundi parte sint & sicut rationibus explicantur. Ac quomodo summum cælum ab oriente Sole in Occidentem perpetuo conuertatur, & ferantur contrario motu septem sidera, quae ab incessu, & instabili inter se motu vocantur errantia: ex quorum dissimili conuolutione diversas in terris producantur. utq; ex his initis, quae à Græcis elementa dicuntur, omnia sub lunari orbe nascantur, & in eadem redennit intereant, & ex aliis rerum figuris aliae naturali vicissitudine reparentur. ac quae viuentium, quae sentientium genera sint, quae animantia rationis capacia, quae expertia, quoniam pacto istorum vita conservetur & extinguatur obseruat. Itaq; à scrutandis rerum naturalis, principiis, causis & elemētis naturalis nomine adepta est. Hac philosophia nos quasi manu dicit ad divinarum rerum contemplationem, quae metaphysica propria est. Quare tertium doctrinarū genus res semper immortalesq; considerans ex hoc altero scientia genere proficiuntur. Nec vero metaphysice, quemadmodum physice, concretas formas, nec ut mathematicae, à corporibus cogitatione segregatas, sed communes omnium rerum, quae in uniuerso sunt, proprietates considerat, præsertimq; formas immortales simplices & incorporeas;

corporeas; cuiusmodi sunt diuinæ mētes, quæ rerum ef-  
fectarum sunt Deo proximæ causæ; atque una Deū ip-  
sum contemplatur omnium principem causam immu-  
tabili æternitate contentā. Quare omnium scientiarum  
domina est, quæ vniuersales rationes complectitur; &  
nobilissima, quæ rēs æternas diuināsq; pertractat. Atq;  
ideo sapientie nomen obtinuit. Et quidem homines, qui  
à generis præstantia nomen creature mundi in sacris  
monumentis sortiuntur, quia omnium rerum naturas  
participant, (ut apostoli Pauli authoritate nitamus)  
ex his rebus, quæ a Deo procreatae sunt, diuini numinis  
potestatem ac sapientiam intellexerunt; & virtus, quæ  
in procreatis rebus notarunt, ab eius natura remouerunt;  
atque illi præstantiam omnium rerum & bonitatem  
tanto maiorem tribuerunt, quanto principem causam  
effectis rebus omni virtute excellentiore esse putarunt.  
Ac queso quis est tam demens & vecors, qui cū in cœ-  
lum suspexerit, non unum esse dicat & sentiat miro or-  
dine rerum & vicissitudine mundum hunc regente &  
gubernantem Deū? Quis, Auditores, vniuersi & tan-  
ti operis fabricam construxit? quis incredibili multitu-  
dine & varietate rerum ornauit? Quis cœlum illud ex-  
tinum sempiterna celeritate conuertit? quis siderum,  
globos imposuit? quis lucentibus stellarum formis figu-  
risq; depinxit? quis septem planetas septē inter se spa-  
tiis distantes summo calo conclusit? quis Sole inter plaz-  
etas medium locauit moderatorem lumen reliquo-  
rum? quis Lunam motu suo tantam aquarū molem  
agitantem ultimā cœlo terre proximā constituit? quis  
terrā, cui maxima generandi vis à cœlis infunditur, in  
media mundi sede immobilem stare iussit; & in eā reli-  
qua pondera motu proprio ferri? quis elementa, è quibus  
omnia generantur, inter se genere dissimilia apta cōspi-  
ratione

ratione conciliauit? quis astrorum cursus, temporum mutationes, rerum vicissitudines & ordines tuetur? quis hæc omnia vi sua nulla ex re procreauit? quis inter se dispositus? quis regit? quis administrat? quis moderatur? Deus Deus is est, quem colimus, æternus & immortalis, mens libera, & soluta, & omnis concretionis expers, a se existens, omnis boni capax: qui è sublimi illo sôlio cælum, maria, terrasq; despiciens, vitam hominum salutemq; conseruat. Hæc veteres theologi contemplati non nisi vnius cuiusdam potentissimi, sapientissimi atq; optimi Dei opera esse crediderunt: quia unum aliquid singulare, & diuinum principium esse oportet, ad quod vniuersa referantur. Quapropter neglecta Deorum commentitia multitudine, & suorum temporum superstitione religione despicatu ducta Musæus, Orpheus, & Pythagoras unum Deum esse principem & moderatorem vniuersi afferuerunt: ac Mercurius Trismegistus & Plato sanctè ac pura mente colendum esse predicarunt. Et Aristoteles Athenis accusatus fuit, quòd vnam æternam & infinitam mentem esse diceret, quæ sine villa ignorantia & errore cuncta produceret. Socrates quoq; impietatis delatus est, quòd de diis male sentiret, ac tantum vnum Deum esse contenderet. Hinc non vanaiorum mentibus insedit opinio, eorum animas, qui se castos integrosq; feruassent, exutis corpore in cælum euolare; qui vero se flagitiis contaminassent, in inferis debitæ scelerum poenas per soluere. Ex quo virtutis honestatisq; præceptis hominum viræ ad diuinum numinis cultum & religionem instituere conati sunt. Virtutis igitur, Auditores, quòd moralis philosophia virtutum institutis appetitum refrenans, & affectiones tranquillans animum instruit ad perseruandum vires & naturas rerum, quæ sibi à sensibus obiciuntur, humana

humane vita moderatrix atque magistra. Tum de natura disputationis & rebus occultis philosophia hominem ad diuinarum rerum contemplationem ex naturalium inspectione deducit. Postremo rerum diuinarum cognitionis virtutis studium in nobis inflamat; cum beatus sine virtute nemo esse possit, nempe qua summum & celeste bonum asequimur. Quamobrem ut poetarum Charites ob mutuam benevolentiam sese manu prehendunt & tenent, sic ob propinquam cognitionem inter se artes omnes doctrinæq; conspirant. Quem disciplinarum consensum Musarum concentus imitatur, illi harmonia similis, quam siderum conuersiones distinctos certis interuallis sonos reddentes Platonorum sententia fundat. Nam acutissime sonant, quæ incitatissime conuertuntur; grauiissime autem, quæ tardissime. Celerior autem extimi celi cursus, remissior vero Luna conuersio est. Que interualla licet imparia sint, tam certa ratione distincta percussio, & numeris prorata portione completa concordum incredibilem seruat. Atq; etiam unicuique Musæ suum calum attribuunt. Musarum numerum & nomina Hesiodus his versibus recenset:

Εὐχαθυγατέρες μεγάλου Διὸς ἔγγειοιαι :  
Κλειώτ', εὐτέρπητε, Αἴλειδετε, Μέλπομέντε,  
Τερψιχόρητ', Ερατώτε, Πολυμνίατ', Οὐρανίτε,  
Καλλιόπητ', οἵδε τριφερεσάτη εἰς τὰ πατάσσων.

Ac Clio Luna, Euterpe Mercurii, Thalia Veneris, Melpomene Solis, Terpsichore Jovis, Erato Martis, Polymniae Saturni, Urania summum calum assignat, quod Graci Supavori appellant. Omnium vero consensum Calliope souet, concentum illum significans, quem calendarum octo cursus efficiunt. Hunc eundem sonum Orpheus septem lyra sua chordis imitatur: quam — tenens longa cum veste sacerdos

Obloqui-


Obloquitur numeris septem discrimina vocum;  
 Atq. eadem digitis, nunc pectine pulsat eburno.  
 Præterea excellentes ingenis & doctrina viri singulas  
 Musas singulis disciplinis præfecerunt, eloquentia Polymniam, morali philosophia Thaliam & Euterpen,  
 physica Clio, arithmeticæ Melpomenen, geometria Eriato, musica Terpsichorem, astronomia Uraniam; sed  
 quæ eadem nobis res caelestes & diuinæ enunciat. Omnia verò Musarum communicatione regina Calliope sua temperatione conseruat. Nec præter rationem  
 Iouis & Mnemosynes filia perhibentur, quia nulla doctrina sine intelligentia & memoria dici potest. Vera  
 igitur est vox illa Platonis, Omnis ingenuarū ariū doctrina vno quodā societatis vinculo continetur: qua-  
 rum ratio ubi simul cognita & perspecta fuerit, mirus  
 quidam omnium quasi consensus doctrinarum, concen-  
 tusq; reperitur. Quem qui repererit, eum ego fortuna-  
 tum, perfectum Aristoteles iudicabit; qui rerum intel-  
 ligētia & virtutum usu perfectionem hominis definit.  
 At qui reperiri posse negat, is vita breuitatem exti-  
 mescit, & rerū difficultate terretur. Neque ego tātam  
 in homine facultatem esse aio, vt artes omnes atq; sciē-  
 tias capere ingenio possit; cùm in vno aliquo genere do-  
 ctrinarum excellere permagnum adeo sit: sed discipli-  
 narum vincula cognoscere, & præceptiones quasdam  
 omnium communes tenere, non supra hominis faculta-  
 tem esse existimo. Nec cuiquam opinor vñquam conti-  
 gerit ullius doctrina laude præstare, qui non ea deliba-  
 nerit, quæ ad omniū notiones pertineant. Hoc studium  
 summis illis & maximis viris Pythagore, Platoni, Ar-  
 istoteli fuit; quos nullius artis & doctrina ignaros ex-  
 titisse conspicimus. Et quò brevior hominum vita est, eo  
 diligenter rectis artibus incumbendum: & quo maior

rerum difficultas, è acrius studiū esse debet. & si tempus, quod sine villa fructuosa opera iocis, ludis, cantilenis, compotationibus datur, in bonarum artium studiis impenderetur, nec angustias vitae, nec obscuritates rerū incusarem̄. Verū ut ne alio à proposito vagemur, huīus vestre academie studia, & doctorum officia diligenter aduertite; profectò hunc, quo de loquimur, disciplinarum consensum facile cognoscetis: cùm inter se communib[us] quibusdam vinculis & quasi propinquā cognatione continantur. Sed ut harmonia fides minus aptè & numerose contenta dissoluit, sic unius doctoris auditorisue dissensio totius academiae confirmationem concordiamq[ue] diuelliit. Tamen ut Deus cuiusque celi motum & impulsu[m] regit, sic tu ciuitatis amplissime gubernator uniuersam academiam tua sapientia & prudentia moderaris.

## DE PERFECTO HABITU HOMIMIS, ORATIO IIII.

**C**onsueuerunt maiores nostri, Auditores, cùm bonarum artium studia resumenda erant, quæ propter calorū molestias intermissa fuerant, in primis Deum immortalem diuinis sacrī ceremoniisq[ue] solennibus precari, ut resciuat atq[ue] uniuersa reip. Christiane prosperè feliciterq[ue] procederet. Quod magna religione institutum vos in hunc usq[ue] diem summa cura diligētiq[ue] seruastis. Est enim diuini numinis auxiliū, dum agere aliquid volumus, primum omnium à nobis implorādum: sine quo nihil recte, nihil tūc fieri potest. Ut autē initia posita sunt, sic cetera consequuntur. Que vero

verò de laudibus scientiarum oratio in hoc augusto & sancto loco haberi solet, illa vel adolescentum animos ad studia doctrinaru[m] alienos renocat, vel bene affectos magis etiam incitat & inflammat. Sed ne eadem, quod aiunt, cantilena cani semper videretur, non fore prater rem duxi hodierno die de perfecto habitu hominis dicere. Nam rerum varietate audientium molestia lenabitur, & ingenuae artes suam laudem & commendationem habebunt. Dicam enim de ea virtute, qua insigniores hominis partes perficit & absolvit. Unde cum hominem perfectum & sapientē informauero, tunc qua qualisue sint virtutes atq[ue] scietiae planius intelligeris. Utinam, Auditores, sicuti corporis formam, sic quoq[ue] animi pulchritudinem cerneremus, profecto incredibilis amores in nobis excitarentur sapietiae. At quoniam ab his rebus, quas sensus attingunt, raro vñquam cogitationes ad mentem & intelligentiam renocamus; idcirco tantum quantum par est, in virtute & honestate non ponimus. Sapientia donum Dei est, lumen animi, hominis ornamentum, rerū gubernatrix & custos: qualibet melius, nihil utilius, nihil dignius & prestabilius à quoquam possideri, aut optari potest. Verum libet Mineru[m] ortum referre, quo poëta sapietiam diuinā quandam rem & calestēm esse demonstrant. Fingunt enim Fouem hominum & deorum parentem quondam caput grauiter affectum sensisse. quam grauinedinem cùm dies aliquot pertulisset, tandem statuisse præ nimio pondere caput ferro secare. Itaq[ue] huius rei gratia Vulcanus accersitur, qui statim cum securi adest. Caput in duas partes secessit omnibus inspectantibus simul & stupentibus virginem edidit oris forma & dignitate pulcherimam: cui Mineru[m] nomen inditum fuit. Eam Graci & Ætna vocant, quasi (ut quibusdam placet), qui verbo-



rum notiones explicant) àθīλnv, quod nutrita laete non fuerit. Aliqui ab àθpēn volūt dici, quod omnia perspiciat & intelligat. Quidam Homeri interpretes aiunt àθīvav mentem significare. ex quo nonnulli quasi θeo-vōnū, sine θētāv vōntūv àθīvav Dei mentem esse exponunt. Per hanc Plato sensit à Deo cuncta fuisse producta, & absq; vlo labore administrari. Nec desuerunt è Christianis, qui hunc partum Iouis ad eternā diuini Verbi generationem referentes Mineruam Dei patris sapientiam & filium esse dixerint; per quem uniuersa res à Deo & magnificentissimè creatæ sint, & sapientissimè gubernentur. Et quanquam insipientis, ne dicam impij hominis est. Christiana fidei documenta fabularum tegumentis inuoluere; ac si ea, qua nobis à Christo Iesu enunciata & persuasa sunt, possint ullis argumentis & rationibus doceri, tamen nō omnino absurdum arbitror interdum veterum commentis vt i ad comprobandā religionis nostræ veritatem: cuius scintille quædā in animis hominum elucent. Iam Pythagoras & Plato solum Deum sapientem esse confirmat, in quo ipsamet sapientia insit, atque uniuersarum rerum eximia constansq; cognitio: eos verò qui Deū imitantur, philosophos appellant, & philosophiam diuina sapientiae simulacrum. Imitamur autem diuini numinis præstantiam & intelligendo quæ in rerum natura sunt, & agendo quæ humana vita ratio postulat: sicut ille mundi rector & princeps Deus tum omnia cernit, qui presens ubiq; est; tum omnibus prouidet, qui rerum uniuersitatem administrat. Nos igitur isthanc hominis perfectionem querimus: quam qui attigerit quo ad feret humane nature conditio, sapiens habebitur. Quippe absolutam nature suæ perfectionem aequi mortalis homo nō potest, dum viuit sub lunari hoc orbe in hoc infimo mundi loco, in quo

quo nihil est nisi fragile & caducum: tūc verò assequetur, cùm mortalitatem cum immortalitate commutauerit. Itaque Pythagora, Platonis, Aristotelis, Theophrasti ac ceterorum nobilium philosophorum sententia perfectus homo is dicitur, qui & eorum quae sunt, contemplator, & eorum quae decent, est actor. Quae autem illi perfectum, nos, si placet, sapientem vocemus. Nam perfectio idem est, quod sapientia; idem etiā, quod summa & uniuersa virtus. Virtus, inquam, ea, quae omnes animi vires recta ratione conformat, ac constanti habitu & affectione confirmat. Hinc, quoniam sapientis hominis est intelligere quae in uniuerso existunt, & agere quae conueniunt sapientiam definiunt esse rerū humarum diuinarumq; scientiam. Quamobrem Aristoteles in duas partes philosophiam diuisit, in cognitionis studium, & actionis. Illud præter scientiam nihil opera molitur; hoc præcipue ad agendum refertur. Illius generis est mathematicarum disciplinarum obseruatio, & rerum naturalium inquisitio, ac diuinarum contemplatio; huius est amor virtutum, quibus animi motus affectionesq; reguntur. Quae philosophia ex duabus animi partibus intelligentia & voluntate profecta videtur: siquidem philosophia totius animi lumen & cultura est. At q; in hoc se quasi campo nostra exercebit oratio, dum quae sit animi cognitio, que etiam actio, explicare dicendo conabimur: quibus sanè rebus summam virtutem sapientiamq; cōsequimur. Ideoq; philosophorum nobilissimi, quod homo rerum cognitione, & actione virtutum se in cælum attolleret, alatam animam fecerunt; præsertim Zoroaster, is qui veterū theologiam illustrauit, & Pythagoras, & Plato, & qui horum scetas & institutiones prosequunti sunt. Ac docuerunt pennas tunc infringi, cùm voluptatum illecebris irreti-

tur integrari vero, cum è vitiorum vinculis explicatur. Sed quot, inquiet aliquis, sunt cuiusque ale, & quales penae? Viri usq; tres. Altera, cui nomen à cognitione est, phantasiam, rationem, & mentem habet; in altera est voluntas, cupiditas, & iracundia, non vitiorum, sed naturalium qualitatum nomina, & affectiones. Etenim animus (ut de cognitione prius loquar) aut à se intelligit, aut a sensibus res cognoscit. Cognoscit autem à sensibus ea, quarum formas ab illis tanquam nuntiis & interpretibus accipit: secumq; deinde colloquendo huius vel illius modi ac generis esse existimat. Quam existimationem Graci phantasiam vocant, hoc est, animi iudicium de rerum visis, que à sensu comprehensa sunt. quanquam ipsum visum etiam phantasia nomine signatur. A se vero animus plerumq; nullo sensuum ministerio utens multa intelligit, dum videlicet ab his rebus que cadunt sub sensu, cogitationē revocat: atq; aut universales naturalium rerum causas indagat, aut res caelestes & diuinās contemplatur, que nullis sensibus percipiuntur. Et quidem animus vel ratiocinando rerum cognitionem inquirit, vel cōtemplando inuentam intuetur. Vim illā Platonicā rationem appellat, hanc mentem. Nonnulli vim hanc intelligentiam seu mentem superiorem, illam inferiorem vocant. Tamen utraque vis sèpè promiscuè rationis, mentis, intelligentiae nominibus notatur. Sed vereor ne cuiusdam forte videar aut inelegans, aut imprudens, qui me paret in hoc confessu velle philosophorum scholas explicare. Verum mihi persuadeo non agi hoc in loco forenses causas, sed doctissimorum hominum sententias proponi; quibus inuenimus animos ad optimarum artium studia cohorte-mur: que èo sunt illustiores, quo ex interioribus philosophiae sedibus eruuntur. In quibus pertractandis ani-

mus

mus propter rerum difficultatem non potest quidem ad ornandam disputationem orationis flosculos delibare: sed fœdari tamen barbarie orationem quantum in me est non paucar, neq; negligam ornatum aliquem decentem grauitati rerum exquirere. Nec quicquam porro est tam obscurum, quod disputatione non splendeat; nec tam rude & incultum, quod verbis non excolatur. Sed dum singulas partes enucleare nitimur, ne verborū notatio, que pro cuiusque ingenio varia esse solet, obscuritatis aliquid rebus offundat, quam vim cuiq; nomini subiectam esse volumus in primis indicabimus. quamquam res magis ponderare, quam verba sapientem oportet. Phantasia, quam vim primam cognitionis esse diximus (ut inde ordiamur, vnde ortus est scientia) nō est apud omnes una eademq; significatio. Nam apud medicos & philosophos sāpe non sanam mentem significat. Id quod Graci melius q̄avtus in dīcunt. Cuiusmodi homines vulgus etiam phantasticos appellat: quorum nemp̄ oculis que visa obiiciuntur phantasma nūcū pantur. Tales Orestem & Aiacem fuisse poētae tradiderunt. Talem Homerū Theoclimenum vatem induxit; quica, quænusquam erant, videre se arbitrabatur. Apud alios vero alicuius rei speciem notat, quam sensus in animo impressit. Quam vim nostratum philosophorum aliqui (licet verbum à Latino sermone paulisper abhorre nonnullis videatur) imaginationem vocant. Hanc bruta sequuntur, & homines iij, quorum iudicium aut somno impeditum, aut aggritudine depravatum est. Nos vero illam animi vim, qua oblata sibi à sensibus inter se componit, ac deinde qua & qualia sint discernit, phantasia verbo distinguimus. Que in brutis quidem nulla est, quia solo sensu mouentur, non autemulla ratiocinatione vtūtur. Cietur autem nobis in ani-

mo hoc pacto. Quinque sunt sensus videndi, audiendi, odorandi, gustandi, & tangendi. Hos summa quadam & vniuersa vis complectitur, & quasi princeps gubernat. Quam vim naturae speculatores philosophi communem sensum nuncupant; vel quod bruis, vi quibusdam placet, communis etiam sit, vel quod ad eum omnes sensus quasi principium & caput reuocentur. Is ea, que sibi sensus offerunt, accipiens animo offert, ut cuiusque genus formamq; diuidet. Quapropter oculorum sensus praestantissimus est, per quem imagines rerum in animum irrumunt. Vnde phantasiam praepue dictam existimat. Atque ut exemplo clariora, qua dicimus, fiant; te mihi ciuitatis amplissima gubernator propono. Tuam figuram communis sensus animo meo per oculos obiicit: quam quidem animus abstractam a corpore videt, sed oculus barentem & infixam corpore cernit. Mox phantasia conspiciens istam imaginem ita secum ipsa colloquitur: Quis iste vir est decens corporis dispositione, rectus ordine membrorum, magnitudine aptus, aspectu iucundus, incessu grauis? Hac & huiusmodi inter se componens, hominem graue & humanum esse te coniicit. Sice ea, quae de te amplissime gubernator dixi, de ceteris quoq; rebus intelligi volo. Nec quisquam opinetur communem sensum posse hoc prastare: alioquin homo statim atque natus esset huiusmodi cogitationes iniret, easq; pariter animantes omnes naturaliter fingerent. At qui res aliter se habet. Ergo phantasia vis seu manus est singularum rerum imagines, quae per sensus ad se peruenierunt, agnoscere. Que cognitio opinio dicitur, & qui phantasia pollent sagaces nominantur. Accedit biformis intelligentia que mite ac ratione consistit, bifrontis Iani speciem prese ferens: qui altero aspectu humana perscrutari, altero diuina admirari

rari videtur. Etenim animus dum cernit hæc corpora,  
singulares mutabiliū rerum imagines cogitatione com-  
pleteatur: dum vero in se ipsam flectu obtutum, non sin-  
gulares sed vniuersales, non figuræ sed rationes, nec su-  
fficando opinionem, sed ratiocinando scientiam ase-  
quitur. Ac sane vis ista animi, seu ratio, seu mens infe-  
rior appelletur, nos ad rerum ampliorem & firmiores  
cognitionem dicit. Non enim illa tunc opera sensuum  
eget, sed sola cogitatione tanquam famula uititur; neq;  
rem illam singularem attendit certo conclusam loco, fi-  
nitam tempore, descriptam conditione, sed vniuersales  
rationes indagat; quæ nullius certi temporis aut loci le-  
gibus tenentur: nec querit quis hic homo sit, sed quæ ho-  
minis natura, non uni singulo sed eiusdem generis om-  
nibus quoquis loco, quoquis tempore communis. Itaq;  
ratio se a sensuum contubernio segregans, veritatem non  
corpoream, sed simplicem inquirit: atq;  
ab efficientibus  
causis ad res effectas meditando cuiusq;  
naturam pro-  
greditur, contraq;  
ab effectis rebus ad efficientes causas  
decurrit: tandem ratis firmisq;  
sententiis tollit ex ani-  
mo dubitationes, conficitq;  
disputatio quod querit. In-  
terdum quoq;  
ad cognoscendas res singulares, quarum  
imagine fuerat excitata, ex vniuersalium rationum  
contemplatione descendit. quanquā motu proprio sem-  
per ad vniuersarum naturarū inspectionem impellitur.  
Nec vt sensus tātummodo presentia inspectat, &  
que  
cerni aut tangi possunt expiscatur, verū etiam remo-  
ta ab oculorum aspectu persequitur, & presentia cer-  
nens simul quoque præterita respicit, præuideq;  
futura.  
Atque hæc animi vis ea est, quæ potissimum homines à  
brutis secernit, ac scientes & prudentes nos facit. Nam  
prudentiam parit, dum in earum rerum, quas nos agi-  
mus, consultatione est; dum verò in earum rerum, quas

natura fingeat, indagatione versatur, scientiam gignit. Quamobrem animi stabilis & perfecta cogitatio, ratio inquam, non opinionem inserit, quam creat phantasia infirma suspicio, sed prudentiam & scientiam producit. Quippe opinio est infirmis argumentis firmata existimatio; scientia vero per immutabiles & aeternas causas effecta cognitio. Illa decipi potest facilissime, quoniam earum rerum est, quae sepe alter se habent, atque a nobis cogitantur; hec quia cognitis, penitusque perspectis, & nunquam fallentibus rebus continetur, vera, firma & perpetua est. Quamobrem hi propriè docent, qui rerum certas causas aperiunt. Ideoque Oratores, quia de his rebus agunt, que semper eadem non sunt, sed mutantur, non scientiam, sed opinionem in animis audientium in generant. qui etiam sepe fidem earum rerum aliis faciunt, in quibus ipsi hærent. Ceterum cognitio rerum ex petendarum & fugiendarum prudètia nominatur: quæ cum bonarum & malarum rerum scientia sit, ad rationem meritò refertur. Neque illud obstat, quod inter morales virtutes annumeretur, quoniam quatenus illarum princeps & regina est (siquidem nulla moralis virtus absque bonarum & malarum rerum delectu esse potest. quod munus prudentiae proprium est.) in illarum choro iure optimo adscribitur: tamen eius sedes in intelligentia est; unde animi affectus recta ratione moderatur & regit. Sed quoniam arbitror vos intelligere phantasia ac rationis vires, quantumque altera alteri prestat, quod illa opinione imbuatur, hec scientia confirmetur, mentis naturam animaduertamus, que omnium præstantissima est. Non enim causas rerum, quemadmodum ratio, ipsarum vestigiis persequitur, sed integra & quieta nullo ratiocinationis impulso agitata presentem veritatem contemplatur. Mente philosophi describunt

describunt esse multitudinem sed stabilem & eternam.  
quia licet immutabilis sit, tamen res omnes uno simul  
tempore non comprehendit, sed seorsum quamq[ue] intelligit,  
nec ratiocinando mobilis est, sed contemplando con-  
stans atque perennis. Deus vero ab iisdem ( liceat mihi  
proprius ipsorum vocabulis vti ) unitas firma & semi-  
terna vocatur, quod solus res universas uno eodemque  
obtutu cernat in se ipso, qui cuncta sinu suo concludit  
omnium rerum finis atque principium. Sed ut phanta-  
siam ratio, sic rationem mens, sic mentem Deus illumi-  
nat, dictus ob id lumen pater: quoniam eius splendo-  
re omnes intelligentiae, sicut cetera stellae solis lumine, il-  
lustrantur. Atque ut corporis oculus nequit ullam rem  
cernere, nisi lux solis accesserit; sic mens animi oculus  
nequit rem ullam intelligere, nisi splendor divini numi-  
nis affulserit. Quapropter ab Evangelista Ioanne lux  
vera Deus appellatur: atque ab eodem dicitur via, veri-  
tas & vita. Est enim rerum, qua menti obiciuntur, ve-  
ritas. quandoquidem ea, quae sunt, per Deum sunt, sine  
quo factum est nihil. Est vita mentis, nepe qua rerum  
cognitione & intelligentia pascitur: quia si Deum &  
in Deo intelligit, non potest sine Deo vivere. Est via,  
per quam res menti, & in qua mens rebus occurrit. Qua-  
re idem Evangelista inquit eos solum veritatis spiritum  
posse cognoscere, in quibus est Deus.igitur, Auditores,  
si perfecti & beati esse volumus, a nobis Deus immor-  
talis summis precibus orandus est, ne in tenebris igno-  
rancia iacere nos patiatur, sed diuina sua luce mentes  
nostras illuminet, ut ipsam veritatem agnoscamus &  
seguamur; qua sola diu celestes efficimur. Tunc sanè mens  
vbi diuino splendore illustrata fuerit, rationi lucē por-  
riget, qua rerum formas & notiones animo comprehen-  
sas melius perfectiusq[ue] cognoscat. Ipsa etiā ratio phan-  
tasia

tasie lumen infundet, quo minus à vero falso aliqua opinione & errore abducatur. Sic Platonem legitimus ab aeterni numinis imploratione rerum suarū duxisse principia; & Pythagorā à diuinis laudibus sua studia inchoasse: sic Aegyptios accepimus à votis & sacrificiis omnium rerum initia fecisse; & Indos, (vt Aristoxenus author refert) nullam omnino rem unquam vel publicam vel privatā inauspicatō egisse. A recte poëta ille:

Ab Ioue principium Musæ: Iouis omnia plena.  
Taceo Christianos veræ ac puræ religionis cultores, qui res omnes suas & cogitationes in Deum pie ac sanctè referunt ob aeternam illam, quam expectamus, beatitudinem. Etenim sine lumine veritatis nihil veri potest videri, nec quicquam boni sine bonitatis præsentia geri. Nec verò studiorum nostrorū & animi cogitationum finis alius esse debet, quam summi boni cognitio. quæ diuini numinis cōtemplatio propter calestis naturæ mentisq; præstantiam sapientia nomen arripuit. Sed ne longius, quam res, aut tempus patiatur, dicendo producar; sic primam orationis meæ partē concludo, cognitionem animi aut opinione, aut sciētia, aut sapientia cōtineri. una phantasie, altera rationis, tertia mētis fœtus existit. Quas singulas quibus rationibus aut studiis consequamur, adhuc breuiter in præsentiarum dicendum, existimo. Primum opinio exemplis & authoritate recta efficitur. Authoritas in suadendo magnum pondus habet; quoniam ei facile credimus, quem prudentē putamus: exempla in deliberando plurimum valēt; quoniam quæ facta sunt fidem nobis faciunt futurorum. Adhac similiūm rerum inter se collatio etiā atq; etiam animi opinionem confirmat. Nam ob causam Poëtae, Oratores, & Historici legendi sunt; qui sunt rerum vararum aut verisimiliūm graues & prudentes explicatores:

tores: ac mirum dictu quantum ad cuiusque doctrinæ  
& scientiæ cognitionem conferant. At prudentia, quæ  
agendarum rerum scientia est, doctrina & experientia  
comparatur. Doctrinam ex his maximè philosophis pe-  
ti oportet, qui de vita & moribus agunt. Nihilominus  
rerum gerendarum magistra melior experientia est: que  
tantum à solertibus ingenis, nec nisi longo tempore ac-  
quiritur. Verum eius philosophiæ studium, quæ natu-  
ralium rerum causas inuestigat, scientiam gignit: que  
est rerum necessariè demonstratarum, hoc est, ex causa-  
rum inspectione rerum facta cognitio. At sapientia, quæ  
est rationum in mente complexio, ac constans & perpe-  
tuus veritatis obtutus, cum natura, tum maximè diui-  
ni numinis illustratione habetur. Dixi de cognitione;  
nunc de actione dicam. Sanè ad agendum aut volūtas  
nos impellit, aut appetitus. Voluntas est cuiusque rei cō-  
sentiens rationi appetitus, οὐλοντί Graci vocant; cum  
nimirum animus asciscit ea, quæ honesta & utilia esse  
ratio docet. Appetitus vero, ὄρημον Gracē, aut iracundia,  
aut cupiditatis motus in animo est, expers quidem ra-  
tionis, sed tamen ratione regendus. Et voluntatis nor-  
ma iustitia est, cuius partes (ut docti homines docent)  
sunt in Deum religio, in parentes pietas, in creditis re-  
bus fides, in moderatione animadueritati lenitas, in be-  
nevolentiā amicitia. Verum appetitus, qui tanquam  
intractatus & indomitus equus hominem sèpè hic at-  
que illuc rapit, fortitudinis & temperantiae habenis à  
ratione cohendens est. Fortitudo iracundiam vincit,  
temperantia cupiditatem refrenat. Illius munus est &  
venientibus malis obstat, & tolerare ac perferrere pre-  
sentia. In quibus est magnitudo animi: quæ & pecunia  
liberaliter utitur, & incommoda, maximeq; iniurias  
elatè capit ac sustinet. Huius vero officium est & non  
appetere

appetere que absunt; & ab his, que ad sunt, abstinerere: maximèque in appetendis capiendiisque corporis voluptatibus modum adhibet. Ex quo modestia non men sepius obtinet. Itaque tres peculiares animi virtutes cernitis, que in actione consistunt; iustitiam, que voluntatem regit; fortitudinem, que iracundiam sedat; temperantiam, que cupiditatem moderatur. Singularum quoque plura sunt genera: que singillatim persequi nostri instituti non est. Omnium autem mater, princeps, & moderatrix est prudenteria; sine qua nulla virtus esse potest. Nemo enim, iustus, nemo fortis, nemo temperans est, nisi idem sit prudens; qui inspiciat quid quaque in re deceat & conueniat. Evidem sine prudentia iustitia sumum ius illud efficitur, quod summa iniuria est: & fortitudo sine malorum circumflexione in temeritatem enadit: & temperantia sine moderatione immunitatem imitatur. Atque ut pes & manus ritè sine oculorum aspectu nequeunt officium suum facere, sic nulla virtus absque bonarum & malarum rerum scientia quicquam rectè & bene agere valet. Quapropter litterati viri sapè virtutis commune nomen prudentia proprium faciunt; quoniam princeps, & dux est reliquarum. Sed perfectum habitum hominis mihi plane descripsisse iam videor, quando de actione & cognitione dixi: quibus humani animi natura ad absolutam generis sui formam speciemque redigitur: cum nimirum ad virtutum functiones bene affectus est, & rerum intelligentia perpolitus. Ad quam perfectionem assequendam quia non solum natura & doctrine adiumentis, verum etiam diuini numinis afflatus opus est, egregie poëta inquit:

—Pauci, quos æquus amauit  
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,  
Diis geniti potuere.

*Id quod idem poëta suis commentis sapientissimè commendauit. Nam Æneam inter densam atq; asperam siluam ramum aureū querentē inducit, sine quo ad patrem aditu prohibitus fuisset: atque ad eñ duas colubas à matre Venere immitti facit, quæ inter siluestres sepes ad Iunoni sacram arborem volatu suo viam monstrant.*

Tollunt se celeres, liquidumq. per aëra lapsæ  
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.

*Aurum propter eximum splendorem sapientiam mihi designare videtur: quam nihil optabilius, nihil præstantius est. Sed tum inter falsas hominum opiniones & errores, tum inter acres aut honorum, aut diuitiarum curas, tum inter turbidos & ingentes animi motus latevit. tamen fas est nobis eam cum Deo comprehendere aitio & cognitione ducibus, quas gemina columba significat. Nec illa quidē missa à Venere sine causa sanguinatur, cùm rerum diuinarum desiderium (Venus enim amorem significat) alas agitet, quibus animus ad sapientiam volat. At quoniam animi alæ tunc sane & integre manent, cùm rectis artibus erudimur; debilitantur vero, cùm voluptatum venenis inficiantur; nos totos sapientia studio dedamus; ne de sua tandem inertia quisquam & ignavia verbis illis nobilissimi Hetruscorum vatis conqueratur. Quid enim minus licet nostrorum versus, quam Gracorum referre?*

I uo piàgendo i mili passati tempi,  
I quai posì in amar cose mortali

Senza

Senza leuarmi à volo, hauendo l'ali,  
Per dar forse di me non bassi esempi.

*Quamobrem amplissime gubernator noli in hoc doctrinarum curriculo amplificando & conseruando defatigari: quia nullam rem ciuitati utilorem, nec te ipso dignorem effeceris. Vos quoque bonarum artium preceptores ad vestra munia diligenter incumbite: è quibus non minor ad vos gloria, quam ad alios utilitas ventura est. Deniq; honestissimi adolescentes vos moneo, vos hortor & obtestor, ut omnes cogitationes vestras & conatus ad sapientiam adipiscendam intendatis, cuius possessione perfecti, felices immortalesq; reddemini. An Palladem virginem deam è summi Iouis capite ortam, & diuino beneficio inter nos diuersantem, quasi mulierculam aliquam omnibus peruulgatam expellemus, ciiciemus, exterminabimus? Deus optimus maximus, cuius auspiciis hac nostra studia inchoātur, in optatum ipsa finem suo du&tu prospere feliciterque perducat.*

## DE PHILOSOPHIA, ORATIO V.

**C**VM virtutis ea vis sit, Auditores, vt hominis animum viresq; perficiat, certè virtutis doctrina, quam à sapientiae studio philosophiam nominarunt, nulla res homini ad bene beateq; viuendum melior vel ab excellentissimis ingenii inueniri, vel nobis à caelesti & diuino numine tradi potuit. Nam summi boni cognitio rectè viuendi prudentiam acuit: cuius ignoratio tantas errorum tenebras offundit, ut quo vita cursum dirigamus videre nullo modo possimus. Ignorato enim fine, ad quem omnia referri oportet, viuendi quoque rationem,

tionem ignorari necesse est, ipsumq; dubium animum  
 à summa opinionum peruersitate diuelli in varias vo-  
 luntates, distractasq; sententias. Quamobrem virtutis  
 & vita disciplina omnes artes & scientias iū authori-  
 tatis pondere, tū utilitatis magnitudine superat. Que-  
 so me de virtute, virtutisq; doctrina dicentem, Audi-  
 tores, pro restra humanitate amicè & attè audiatris.  
 Ostendam enim beatam vitam, quam homo ex se p̄-  
 stare potest, virtute contineri; magistramq; vita philo-  
 sophiam ab omnibus colendam esse: quæ ab omni vani-  
 tate animum liberat, illiq; simul ad felicitatem viam a-  
 pertam directamq; demonstrat. Et ad felicitatiē quidem  
 ipsa natura nos impellit, & dicit; sed fallit cursus er-  
 roris. Est enim omnibus in rebus innata summi boni  
 cupiditas; siquidem unumquodq; se diligit, sibiq; per se  
 ipsum charum est. (cū autē summū, ultimum, extre-  
 mum bonum, & finē dico, felicitatem & naturā perfe-  
 ctionē intelligi volo.) verū nos aut iudiciorum praui-  
 tate infecti, aut blandis voluptatum illecebris irretiti  
 à natura descisimus, ac vitiis propè infinitis cumula-  
 mur. Hinc inter homines magna de finibus bonorum  
 malorumq; dissensio est; quoniam in summa inanitate  
 versantur sibi ipsis blandiētes, & opinione ad vitia fa-  
 cile consentientis multitudinis aucupantes. qui si ali-  
 quem bonorum malorumq; delectum opera prudentiæ  
 haberent, que sola est officiorum præceptrix sine vlla of-  
 fensione dicatorum & factorum rationes ad fines suos de-  
 dicens, nō vulgi vanos sensus, nec falsa latitie vmbra,  
 sed solida virtutis imaginem persequerentur. Etenim  
 quia corporis sensu res ponderamus, non animi ratioci-  
 natione quid verum, quid falsum sit colligimus, ab op-  
 timo vita statu nos vel opinionum vanitas, vel cōsuetu-  
 dinum depravatio, vel honestatis inimica libido ad ho-

nores, opes, voluptates, & res eas traducit, quæ longè ab  
 humani animi perfectione & letitiis absunt. Porro ea,  
 quæ mentis expertia sunt, neq; illa ratione ducuntur,  
 sive anima careat, sive aliquo sensu prædicta sint, eò sem-  
 per inclinant, quo insita vi & libidine mouentur: quo-  
 rum vero libera sunt appetitiones, non semper eandem  
 rem amant, & naturæ suæ aptam & accommodatam esse  
 existimant. Quare illis, quæ solum ingenito à natura  
 motu cidentur, certus est finis; quoniam ratio & immu-  
 tabiles sunt naturales causæ: quorum vero in potestate  
 est appetere, & eandem rem aspernari, sàpè dissimiles  
 bonorum effigies cōfendantur; quoniam voluntates hinc  
 à sensu, hinc à ratione ad sequendum vel fugiendum a-  
 liquid allicitur. Sed quoniam unius generis & natu-  
 ræ unum est extreum, siquidē unum est principium,  
 cuius rationem habet finis, cùm eius causa omnia fiant  
 (alioquin plures fines vni constitutere, quid aliud est  
 quam eiusdem rei plura & distincta genera facere? quo  
 nihil potest dici aut cogitari peruersius.) hoc ipsum ho-  
 minis extreum bonum paucis explicemus: in quo ex-  
 quirendo philosophi magnopere elaborarunt. Ceterum  
 est autem non esse omnium eundem finē & appetitum,  
 licet omnium rerū cōmune desideriū sit in suo quamq;  
 genere perfectam, & cunctis bonis resertam esse, quæ ad  
 expletionem naturæ suæ pertineat: quandoquidē inter  
 se natura diversa sunt. Est enim aliud plantarū, aliud  
 belluarum, aliud hominum genus. ergo appetitu vario  
 concitantur: quonia idem omnibus non conductit. Hoc  
 igitur videndū, nimirum quid hominis natura quam-  
 maximè appetat, non appetitum ab ijs, à quibus genere  
 distinguitur. Videndū igitur est, quid in homine potis-  
 simum emineat, in quo integrum sit illi merito & opti-  
 mo suo iure gloriari. Cumq; ex animo & corpore cōstet,

atq;

atq; illo brutis animantibus similis, hoc Deo cognatus  
 sit & quasi gentilis, dubium non est eū ratione præstare  
 propria vi sua: cuius in aliis animatibus ne vestigium  
 quidem ullum nec simulacrum appetet. Quapropter in  
 incunda sensus commotione qui felicitatem collocat, à  
 generis sui nobilitate & virtute degenerat. Nam tan-  
 quam aliquis (ut poëta ille loquitur) Epicuri de grege  
 porcus ita se abiicit, ut à pecude nihil differre se arbitre-  
 tur, nullam vim animi sentiens, nullā mentis rationis q̄  
 præstantiam. Quis est obsecro tā mollis & voluptarius  
 ut & pecudis & hominis summum bonum idē esse opi-  
 netur? Illa sensu res indicat, hic animo & ratione intel-  
 ligit: illa dumtaxat præsentia sentit, hic & præterita  
 reminiscitur, & futura cum præsentibus copulat: illa in-  
 terram prona tanquam ad pastum solum facta vide-  
 tur, hic ad cali conspectum erexitus quasi ad cognoscen-  
 dum & contemplandum eam, quam cum diuinis men-  
 tibus habet, propinquam cognitionem. Quorum igitur  
 diversæ sunt proprietates, etiam dispertita genera, &  
 vltima inter se distantia sunt. Non est, Auditores, non  
 est corpus hoc æternum & immortale, sed fragile & ca-  
 ducum, concretum ex his rebus, quæ quia secū dissidet,  
 breui tempore corrumpuntur, vel quasi domiciliū à Deo  
 nobis concessum, dū in terris procul ab aethereis sedibus  
 peregrinaremur, vel quasi minister & famulus anima-  
 datum, quamdiu in hac luce vel potius tenebris versa-  
 retur; ut insani & sui ipsius oblitis sit perpetuus animi  
 gaudiis leuissimam corporis delectationem anteponere.  
 Ego me, quod vigeam, plantis; quod sentiam, reliquis  
 animantibus parem duco; quod vero intelligā, istis om-  
 nibus superiorēm habeo; atq; id proprium meū esse aio,  
 quod non est cum aliis commune; eoq; bono mihi gau-  
 deo, quod amitti non potest, & per seipsum laudabile

est. Et sapientes viri non sensu, sed animo & cogitatione veram se vitam vivere dicunt. Ac bonum quo laudabilius est, hoc magis est expetendum. idcirco animi bona quo prestantiora sunt corporis bonis, hoc magis illis praeponenda sunt. Quid de bonis externis dicam, quae nullo iure nostra dici possunt? queq; sub varios casus fortuna ita subiecit, ut eis nullo temporis momento nobis licet certo & seguro animo frui? Honores vero, imperia, gloriam affectent ij, qui ad studia vulgi sensusq; sese totos accommodarunt. Quae corporis & fortuna bona si in laudata illa Critolai libra cum virtute comparantur, virtutis lanx procul dubio (ut inquit Cicero) terram suo pondere mariag; contigerit. Quamobrem si in homine animi, qui corpori praepositus est moderator & dominus, & in animo summa omnis est rationis, quan nihil in nobis diuinus elucet, certe rationis absolutio summum bonum hominis esse confirmatur, quia optimu: reliqua (si hoc etiam nomine appellare velimus) bona ad summum pertinentia, nec sui causa, sed ultimi gratia querenda videntur. Quam rationis absolutione modo animi sanitatem, modo pulchritudinem, modo honestatem, modo virtutem, modo sapientiam doctissimi homines vocant: Ea si cerneretur (ut ait Plato) vehementes sui amores in nostris animis excitaret. Idemq; vir sapientissimus adolescentes commonebat, vt aurum non in corpore, sed in animo gestarent, hoc est, vt praeter animi nullam aliam pulchritudinem adamarent. Itaq; virtus per se ipsa expetenda & praedicanda est, propria sua illustris & gloria, dignitate honesta, officio recta, ornatu decora, pulchritudine laudabilis, hominis perfectio, summum bonum, atq; felicitas. Neq; vero, vt aliquis ex Stoicorum disciplina, bona corporis & externa reiicio, ac nihil ad expletionem humanae naturae conseruentia,

ferentia, sed cum Peripateticis utilia duco, ea scilicet ratione, qua animus ad functiones suas corpore vtitur, & his rebus eget, que ad vsus vita necessaria sunt. Attamen virtus in corde sapientis altissimas radices habens nullo fortune conatu labefactari, nullis calamitatibus perturbari potest. Ipsa spe bonorum in aduersis rebus deieclum hominem erigit, in secundis malorum recordatione reprimit insolentem, armatq; pectus fiducia sapientie contra omnem casum ac varios & incertos humanae conditionis euentus. Eadem veri & falsi cognitione mentem in errorem & superstitionem labi non sinit, atq; omnem inanitatem circuncidens animi motus regit, & concitationes sedat, tum ab aegritudine & metu inuitio nos robore & praesentia liberans, tum conformatio, & moderatione temperantia libidinem voluntatis refrenans: demum rationi appetitum, & intelligentie sensum obedientē præbens partes omnes ad tuendum & conseruandum naturæ statum mira concordia & conpiratione componit; compositumq; ad rectam rationem animū veris plenis eternisq; latitiis cōplet. At vero perturbati animi solitudines & miseras quis unquam dicendo exprimeret? Illum vitiositas nūc formidinum aspectu perterrens, nunc dolorum tormentis excrucians, nunc cupiditatum facibus inflammans, nūc libidinum furiis exagitans nunquā respirare, nunquam requiescere patitur. Potest ne cinitas in seditione absq; tumultu esse nec animus à seipso dissentiens diuisusque partem ullam liquidæ quietis degustare potest. Et enim quietus nemo est, nisi qui cōstans; qui vero quietus, omni perturbatione animi vacuus est; qui autem perturbatione animi vacuus est, in otio & tranquillitate vivit. Omnes igitur improbi miseri, & sapientes felices. Neg; enim se extra se quarunt, sed beatæ vita præsidia

in seipsis ponunt; nec spem sui ex aliorum sententiis & erroribus, nec ex eventis bonis malisue suspendunt, sed naturae viribus contenti præter virtutē res cereras subter se habent atq; cōtemnunt: tum nulli cupiditati seruientes, sed omni agritudine & metu virtutis adiumento levati incundissima pace perfruuntur. Ac præclarè Poëta ille:

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,  
Liber, honoratus, pulcher, rex denique régum.  
Nec quicquā aliud est, quod nos Deo similiores, quam  
virtus efficiat; que partes animi ritè disponens & seruas  
nos cum caelestibus & diuinis mentibus coniungit. Aut  
quid de Deo glorioſius predicamus, quam virtutes?  
nempe summam illam sapientiam, qua rerum univer-  
sitatem administrat; & admirabilem iustitiam, qua  
pro vita meritis cuique dignas pœnas aut premia tri-  
buit; ac maximam fortitudinem, qua semper in propo-  
fita ratione susceptoq; consilio permanet; postremò in se  
conuersam seq; ipsam intuentem intelligentiam: in qua  
omnium rerum moderatio inest. Tantus igitur est vir-  
tutis splendor, ut reliquorum bonorum speciem, veluti  
Solis radius astrorum lumen, obscuret. Quamobrē acies  
animi omni studio & diligentia curāda est, ne vñquam  
sensus iucunditate cæcetur, sed rectè paratus & prom-  
ptus ad rationis absolutionem virtutemq; contendat.  
Nec vero iam eos sequar, qui virtutem à more & con-  
suetudine dictam moralem à natura tantum, nō autem  
voluntariam esse volunt. Quorum sententia redargui  
refelliq; facilè potest. Nihil enim in nobis vel hone-  
stum landari, vel turpe reprehēdi iure debet, nisi quod  
est voluntarium: quoniam voluntas est nostrarū aëlio-  
num posicium in nostra potestate principium, non à na-  
tura necessitate productū. at qui virtutis omnis est iusta  
laudatio.

laudatio. non ergo quia à natura data, sed quia ratione perfecta est. Tum nomen ipsum ostendit eam exercitatione parari & perfici, non autem natura habitu possideri. Ad hæc cuiusvis rei naturalis proprietas nullius exercitationis assiduitate immutari inuertiq; potest. Neque enim lapis (vt exemplo quod dicimus illustretur) etiam si sapè sepius ad superiora iactetur, ynquam aduerso natura motu sursum ferri cōsuescat. At qui homo si frequens est in faciendis iniuriis fit penitus ini quis: idem longa instarum actionū meditatione & studia in virum bonum euadit. Præterea (sicut Aristoteles subtiliter disputat in libris, quos Demoribus accuratissimè scripsit) non à consuetudine videndi oculorum sensum adepti sumus, sed quia videndi vim natura nobis in oculis indidit, rerū formas & colores aspectu percipimus. At qui fieri nequit, vt virtutē assequatur, qui non in longo & diffīcili honestatis curriculo studiofissimè & diligentissimè se exercuerit. Naturales quippe habitus nulla nostra industria & commētatione fiunt: voluntarij verò ab honestatis actionibus proficiscuntur, ac multo vsu & exercitatione confirmantur. Nō igitur virtus à natura facta, sed vsu & ratione formata est; nec tamē aduersante natura. Nā inuita (vt aiūt) Minerua, hoc est, repugnante natura neg<sub>3</sub> fieri, neq<sub>3</sub> dici quicquā potest; neq<sub>3</sub> etiā decet. quoniam odiosa sunt qua nō spontē, sed cū fastidio & ambitione proueniūt. Et quid aliud est natura obſistere, quam gigātum more (vt ferunt) contra Iouem pugnare? His de causis neq<sub>3</sub> secundum naturam, quasi inuoluntaria, neq<sub>3</sub> cōtra naturam virtus est, quasi vi coacta & expressa, verū principia ducens à natura humano studio & arte absolutionem confirmationemq; consequitur. Sunt enim ingenii nostris innata primordia quadam & quasi elementa vir-

tutum: quæ ad perfectam honestatis formam industria  
& doctrina excitanda sunt, nisi à turpi desidia obrui,  
& à vitiosa consuetudine deleri velimus. Quanta, amo-  
bo vos, Auditores, prima etate, quo præsertim tempore  
naturæ vis motusq; percipitur, quanta, inquam, simu-  
lacra virtutum in plerisq; moueri, & velut igniculos  
emicare non sine magna admiratione & incredibili spe  
frugis aspeximus? quos postmodum adulata etate sic mo-  
rum opinionumq; depravatione restinctos vidimus, ut  
nullum virtutis lumen amplius cerneretur? Nec aliter  
animus sine doctrina, quam ager sine cultura, licet fer-  
tilis sit, tamen fructuosus esse non potest. quanquam ut  
solum aliud alio natura feracius, sic ingenium aliud a-  
lio ad percipiendam virtutem est aptius. Siquidem so-  
liers & acutum ingenium virtutē facile comitatur; tar-  
da vero & obtusa mentes nullam virtutis indolem pra-  
se ferunt. Quinimmo virtutes ipse dissimilitudines  
quasdam ex eorum, in quibus insunt, differentibus in-  
geniis, sicuti corpora ex loci acceli natura varios colo-  
res affectusq; concipiunt. Sic alij callidiores, alij simpli-  
ciores, alij ad granitatem, alij ad comitatem, alij ad fru-  
galitatem, alij ad liberalitatem, alij ad cauendum, alij  
ad audiendum, alij ad paniendum, alij ad ignoscendum  
natura fiunt procliiores. Sed quamvis dissimiles, tamē  
sunt virtutes omnes laudabiles: quoniam bonarum af-  
fectionum princeps prudentia pro cuiusque ingenio eas  
rectaratione preceptisq; conformat, & amabili conspi-  
ratione ac consensu inter se conciliat atq; coiungit. Quam-  
obrem ad consequendam virtutis solutionem præter  
vim ingenij & naturæ doctrina quedam & exercitatio  
desideratur: quibus videlicet rebus hominum operatio-  
nes & opera tanquam instrumentis cōficiuntur. Quod  
autem virtus doceatur nulli controuersum esse opinor. So-  
lus

lus enim Deus est, qui nullius monitis & præceptionibus indiget; nempe in quo singularis sapientia, & eximia rerum omnium cognitio inest. Nostrum vero nemo est, qui non interdum aliquo errore capiatur: quandoquidem multa nos vel ob ingenij exiguitatem fugiunt, vel ob rerum obscuritatē latent. At præcepta hominem in agendo errare non patiuntur; ut quæ certis rationibus & exemplis recte agendi viam ordinemq; demonstrer. Quod si nihil recte sit nisi ex prescripto rationis, ni hæc ipsa ratio doctrinæ subsidiis adiuvetur, frequenter animi motum & voluntatem multis erroribus implicauerit vel falso naturæ conatu & appetitione incitata, vel liberali quadam boni specie decepta. Quam enim multa & varia sunt apud homines de bonis malisque rebus opiniones? quam dissimiles mores? quam diuersa instituta: quam inter se differentes leges? ut cum virtus sit via laudabilis, tamen honestum id solum esse videatur, quod hominum existimatio commendauerit. Quare satis arduum & difficile est in tanta opinionum varietate & peruersitate quid rectum & decorum sit videre. Itaq; præter multarum & magnarum rerum usum ad recte formandam rationem, & comparandam prudentiam iudico necessariam esse morum vitaq; doctrinam: quæ quid virtus, quotq; eius genera & partes, quæ mala fugienda, quæ bona persequenda, quò officia referenda, quæ degende atatis ratio eligenda & tenenda sit docet. Ac præclare Poëta ille:

Doctrina sed vim promouet insitam;

Rectique cultus pectora roborant.

Etenim ars est naturæ quedam comes adiutrix & custos, atq; ad id, quod querimus, dux via, & ordine præceptorum certior. aut frustra tot ab eruditissimis hominibus actæ lucubrations, tot relicta monumenta, tot de

moribus scripti sunt libri, si præcepta virtutis inutilia  
nobis forent? Et si artes omnes ad adiunquam & per-  
ficiendam naturam inuentæ & traditæ sunt, sanè am-  
plissimā omnium esse oportet recti & honesti discipli-  
nam; quæ in earum rerū cognitione versatur, in quibus  
beata vita consistit. Ceterum ut sterilis ager diligentia,  
sic hebes ingenium doctrina excolitur: sine cultura ve-  
rò bonum ingenium, velut secundum solum, fruges si-  
mul spinasq; producit. Doctrina errores euellit, vani-  
tatem succidit, licentiam amputat, ingenij luxuriā de-  
pascit, rationis motus confirmat, veritatis vim atollit,  
omni demum ex parte animum diligenter & eleganter  
polit. Eius ignoratione pleraq; imprudenter, iniuste, in-  
decorè facta in preclarissimis viris reprehendimus: qui  
philosophie auxilia repudiantes, tantum ingenii suis  
freti, in multos errores à φιλαυτίᾳ i. in scipios amore in-  
ducti sunt; neq; ullam vñquam vitæ constantiam &  
equalitatē ob insolentiā rerum tenuerunt, qui si præcep-  
torū adminiculis innixi fuissent, plures, mihi credite,  
res ingenii suis digniores præstantioresq; gessissent. Er-  
go virtus et si quosdā impetus ex natura sumit, tamen  
doctrina quadam instruēda & confirmada est. Quam  
virtutis doctrinam, quoniambene beateq; viuendi co-  
gnitio sapientiæ nomen sibi doctissimorum hominū con-  
sensu vendicauit, ut potè scientiarū omniū præstantissi-  
ma, atq; omnium artium domina & regina, verbo Gra-  
eco philosophiā, hoc est, studium sapientiæ vocitamus: quæ  
una est animi medicina, mentis cultura, benedicēdi &  
agendi magistra, nō humanum, sed inuētum donumq;  
diuinum. Veteres illi homines, quorū artas rudior erat,  
inuentionē earum artium, qua tuendo corpori deserui-  
ret, propter ingētes utilitates, quas humano generi præ-  
bebāt, diis, nō hominibus cōsecrarunt; nos philosophiam,  
que

que earum rerum cognitionē peperit, que beatā vitam  
efficiunt, non à Deo, sed ab homine inuentam esse dice-  
mus: Eam verò Socrates, qui de vita & moribus, deque  
rebus bonis & malis maximè omnium & optimè dispu-  
tanit, demonis sui opera fertur è celo ad terram deuo-  
casse: quam deinde Plato libris suis commendauit So-  
cratica disputatione tractatā: sed demum Aristoteles in  
tradendis artibus & doctrinis eximius artifex certo or-  
dine & ratione conclusit. Ad quam tamē percipiēdam  
ineptus est quisquis animi motus ratione non regit, sed  
appetitu huc & illuc rapitur semper à se ipse desciscēs.  
Atq; hoc satis mirandum est, quod cum animus male  
affectus & ager est, nos aut nullā vim morbi sentimus,  
aut medicinam accipere recusamus. An quia animum  
nō videmus? An quia est iniuria curatio? Nisi forte per-  
turbationes animi agrotationes esse negaueris: quae sine  
ulla controuersia sunt corporum morbis permicioſiores.  
Perturbatus enim animus quam agrotans corpus iacta-  
tur vehementius, angitur grauius, & (ut ait Ennius)  
neq; pati, neq; perpeti quicquā potest, cupere nunquam  
definit. Et quis aſtus febris est voluptatum inflamma-  
tione ardentior? quae frigorū vis est timoris horrore per-  
acrior? quae ſitis cupiditate pecuniarum maior? quis do-  
lor malefactorum conscientia intolerabilior? His mor-  
bis una philosophia medicinam inuenit; qua inanes ſo-  
licitudines detrahit, timores expellit, cupiditates re-  
primit, ægritudine animum leuat. Ad cuius regnū, qui  
ſe in optimo vite ſatu conſervare vult, ſe conſerat ne-  
ceſſe eſt, in quo mores bene viuendi praeceptis informan-  
tur, actiones rectis officiis instituuntur, vitiisq; radici-  
tus extractis animus omni genere virtutum ornatur, &  
repreſſa perturbationum ſeditione in tranquillissima  
quiete ſineulla moleſtia omne tempus etatis cursusq;  
trans-

transfigitur. Poëtae, qui quotidiana vita imaginem fabulis adumbrarunt, mulierem quandam nomine Medusam cōfinixerunt ore quidem venustam, sed eos in saxa conuertentem, quicunq; in se oculos conieccissent; ut docerent voluptatem blandissimam dominam à virtute mentem detorquere, & intelligendi vim omnem ex animo eximere. At si mentis aciem in philosophia pulchritudinem intenderitis, nō in lapides aut bellugas, sed in diuinas & cælestes mentes vos ipsa mutabit. Neque verò solum unius hominis, sed domorum quoq;, & ciuitatum felicitatem philosophia tuetur atq; cōseruat, earum rerum inuentrix, qua ad humanum & ciuile cultum pertinent. Ac quæsō dispersos in siluis & speluncis olim homines, quis unum in locum congregauit, & ex immanibus & feris mites ac māsuetos readdidit? Nonne philosophia? Quis domiciliis coniunxit? quis vita societate copulauit? quis mēnibus sep̄it? Philosophia. Quis deniq; ciuitates artibus, moribus, legibus iuuit, formauit, instituit? Philosophia. O Philosophia bonorum omnium mater & dux; per te constitutæ vrbes, per te iure sociati hominum cœtus & cōcilia, per te rerūp. forme effectæ & cōseruatæ sunt: quæ nisi extitisses, nos modo nulli essemus. In quo igitur tanta rerum cognitio & scientia, tanta verborum libertas & copia, tanta orationis elegantia & ornatus inest, ut philosophia laudes dignè perseQUI possit? Ego verò, Auditores, si mea voce & cohortatione vos ad studia cognoscendæ virtutis concitatos cognouero, magnum orationis meæ fructum mihi perceperisse videbor.

DE LEGIBVS,  
AD PERVSINOS,  
ORATIO VI.

**R**ESTIMO, si hodierno die, quo bonarum artium studia inchoari solent, apud vos studiosissimos iuris de legū prudētia dixero; quæ illius sapientiae bona pars est, quæ ceteris facultatibus & doctrinis in tuenda & conservanda hominum societate præficitur. Nec velim, quia tantum legum scientia tribua, reliquas artes à me cōtemni quisquam existimet: quas si negligere, essem merito ruditus; si aspernarer, inhumanus: cum à summis ingenii logo usu rerum & experientia compertæ, ac multis præceptiōnibus cōformatæ innumerabilibus cōmodis & utilitatibus humana vitæ compleuerint. Sed tantum ista luce sua inter omnes lucet, ut custodes legum ad superos propè accedant, & earū interpres atq; doctores diuinis panè honoribus afficiantur. Ac de aliis quidē artibus & scieciis multorū extat copiosissima ornatissimeq; orationes, & acris solertia perfectæ, & summa industria elaboratae: de hac vna ersi à quibusdā elegāter & accuratè dictum est, nō tamē illi viam ceteris præripuisse, sed patēfecisse, neq; aditū ad legū laudes obstruxisse, sed muniuisse videtur. Intelligetis autē primō legem esse donū & inuentum Dei; tum omnē virtutem cōplexu suo contine-re; postremo vniuersarum artiū & disciplinarū esse reginam. Primū omnis antiquitas, quæ authoritatē habet non minimā, ceterarum artium inuenta mortalibus attribuit, leges vero Deorum immortalium inventionis consecrauit. Hinc Minos rex Cretæ legum prudentiam & cognitionē ab Ione accepisse perhibetur; & Lycurgi edicta

edicta, quasi Apollinis oracula, quòd eius demonis familiaritate vteretur, à Gracis ritbra nuncupata sunt. Sed ne fidem à vetustate solum petere videamur, affirmamus rationes, quibus id, quod proposuimus, planius & dilucidius fiat. Non enim apud ignaros & populares homines, sed apud eruditos & singulares viros agimus: ut orationē deceat non ad vulgārē sensum, sed ad doctissimorum hominum sentētias accommodari. Enimvero si lex est, ut sapiētes viri definiunt, recta ratio quae facienda sint iubens, & contraria prohibens; patet ius omne, siue vspiam illud, siue nusquam scriptū sit, à natura constitutum esse, ac legē à Deo datā, & hominum animis fuisse diuinitus infusām, quoniam ratio nō minus est in homine naturalis, quā aut in terra grauitas, aut à natura in igne insita leuitas, aut in stirpibus vigor, aut in brutis animātibus sensus: recta vero esse nequit, nisi divine menti similis fiat. quod sine Deo contingere non potest. Est Perusini, est vniuersā quadam & aeterna in mundo lex, quam Dei sapientia esse cōfitemur, certis naturae finibus cuncta determinans, ac singulis rebus proprietates quasdam inserens veluti leges; quae nec veterari, nec deleri vlla vi aut arte possunt. Itaq; terra in media mundi sede lege diuina colocata non mouetur; eademq; lege siderum orbes circa terrā perpetua celeritate cōvertuntur. sine cuius imperio neq; hominum genus, neq; aliarum rerum vis & natura, nec ipse quidem mundus staret. Proinde quod Diagrov Graci dicunt, iustum Latini, diaiov Plato dicēdum affirmat: vt sit ipsa mens diuina, qua motu predita sempiterno artificiosè vniuersa percurrit, penetratq; vi sua, libera tamen ipsa & soluta, & ab omni cōcretione mortali separata, omnia intelligēs & mouēs, atq; attingēs (vt in sacrī librī legitur) à fine usq; ad finē fortiter, disponēs q; suauiter.

Hinc

Hinc Themin, quod nomē ius fasq; significat, doctrinā  
rū innētores poēta modō fons, penes quē est summa po-  
testas, modō Solis, qui terrarum flāmis opera omnia lu-  
strat, modō Celi ac Telluris filiā esse cōfinixerunt: quod  
certis legibus maximi Dei & natura cōsistat vniuersi-  
tas rerū: quae nisi ab uno moderatore rata, immutabili &  
eterna lege recte gubernari nō posset. Est etiā in homi-  
ne, quē Graci μαρόνος οὐον appellat, lex imperā bona, &  
vetā mala; ipsa inquā ratio corporis sensibus & appen-  
titui præsidens, ad cōmūnem illa & eternā legē, ut re-  
cta sit & salutaris, pīe sancte q; effingēda: ne, cum libera-  
sit sub nullius causa naturalis imperio, perniciosa fiat, si  
ab aspectu diuinæ metis auersa cupiditatis incitamēta  
feratur. Quare illud pulchre dictū est, ni fallor, à Pla-  
tonē, sapiēti viro legē esse Deū, insipiēti verò libidinem.  
Neq; vis legū è verbis, qua proferuntur, aut scribuntur,  
sed è recta ratione cernitur: nec qua rationi aduersan-  
tur, cuiusmodi sunt tyrannorū & auarorū dominorum  
instituta, qui nō ad equitatē & ciuiū tranquillitatē,   
sed ad libidinē & auaritiā omnia transmittūt, quāuis  
principū decreta sint, tamē legis hoc tā grāni & sancto  
nomine digna, sed improbitatis & iniustitiae nota po-  
tius designāda crediderim: perinde atq; malorū medi-  
corum pharmaca propriūs venena, quam medicamenta  
vocaueris. Ad hec ea, que à recta ratione proficiuntur,  
firma sunt, mutariq; non possunt, aut nō certè debet. Ac  
licet utilitatis carū pro personarū vel temporū, vel lo-  
corū ratione diuersae res interim statuātur, nihilominus  
equitatis ipsa ratio semper est rata & immutabilis. Ius  
omne bipartito diuiditur in naturale & ciuile: illud ad  
equi & boni rationē pertinet, hoc ad ciuile utilitatem  
refertur; illud inbet ut sancte, ut pīe, ut inste, hoc ve-  
bene, ut commode, ut apte vinamu. Ex quo orta sunt  
dominia,

dominia, bella, regna, seruitutes, manumissiones, cōtra-  
etūs, emptiones, stipulationes, obligationes, actiones, &  
huiusmodi inter nos cōmercia; quæ diuersa pro locorum  
varietate, pro temporum cōmutationibus, pro ingeniorū  
dissimilitudine sanciri debēt, prout cōmuniis utilitas po-  
stulauerit. Quæ tamen si honesta sunt, si legitima, sem-  
per cum æquitate cōueniunt. Verū illa, quæ tendunt  
ad sōlā æquitatē, nec certæ cuiusdā utilitatis rationem  
habēt, eadē sunt apud omnes: quoniam æquitatis ratio  
naturalis est non in tabulis scripta, sed in hominū ani-  
mis in sita lex: quam non docemur à legum peritis, sed à  
natura ipsā accipimus; nec sibi dissimilis est, quam simi-  
liter omnium mentes intelligunt. Tum si cuiusq; mēs ho-  
minis acie sua boni maliq; naturam despiceret, nullis  
scriptis legibus opus esset. mens enim ipsā sibi lex esset  
quam lege melior, ab omni metu & dominatione libe-  
ra. quia verò nullius ingenii ita cōparatum est à natu-  
ra, ut bona vel per se videat, vel sua sponte velit, vel ex  
se ipso cōsequatur, cūm tot tantisq; cupiditatum moti-  
bus humanus animus concitetur, & a maxima opinio-  
num & consuetudinū varietate miris modis torquea-  
tur, idcirco leges traditæ sunt, quæ recto tramite virtutis  
in vita homines regerent, atq; ab omnibus vanis &  
fallacibus voluptatū illecebris remouerent. Quod sanè  
opus excellentiū intelligentia & sanctitate virorū ex-  
titisse credendū est. Praclarè igitur vir eloquētissimus  
Demosthenes obtēperandum aiebat legi, quia donū &  
inuentū esset Dei, prudentissimorū vero hominū sapiē-  
tissimorumq; decretū. Num verò putamus leges, quæ  
consociationē humānā seruant, aut sine celesti numine  
excogitari, aut sine diuina authoritate ferri potuisse?  
quandoquidē ad omnes æquabiliter pertinere debent,  
pariterq; apud omnes ius suū firmè & graniter retine-

re, ceteroquin nulla ciuitatis administratio aquo & le-  
gitimo imperio contineretur; & iustitia vis omnis, qua  
fundamentum est legis, diuina fide & autoritate nu-  
data vel morum improbitate adulteraretur, vel pecca-  
torum impunitate labefactaretur atq; perfringeretur.  
Iam quis hominum usquā est ita per se prudens & sa-  
piens, ac tanto usu rerum peritus, qui sine ullo diuinis  
numinis afflatu naturas omnium rerum conditiones q;  
perspiciens legibus prescribat ea quae utilia & opportu-  
na sint omnibus? Aut quis tanti ponderis vir, qui sine  
caelesti quadam autoritate fanciat que sequi nos o-  
porteat, interdicat q; contraria? Quapropter Plato le-  
gum latores monitos faciebat, ut quoniam ad gubernan-  
dos hominum cœtus diuino munere opus esset, ab  
Apolline augustissimo numine in scribēdis legibus au-  
xilium & lumen sancta preicatione postularent, quo ea  
cerneret, quae honesta & ciuitatibus utilia forent. Nec  
dubium est, quin res humana absque diuina ope & pa-  
trocinio non possint rectè componi & conseruari, si uni-  
uersarum rerum mensura Deus est, qui principium,  
medium, & finis omnium est, creans, & alens, & ad se  
ipsum cuncta reducens. Et si passim in agris & monti-  
bus bestiarum more sine ullo cultu vitam degeremus,  
nisi leges nos iuris inter nos vinculis colligassent, quis  
tam, impium ne illum dicam, an exordem, qui Deum  
optimum maximum, vel legum authorem esse neget,  
vel in condendis legibus optimorum hominum menti-  
bus afflasse non fateatur? Quod si cetera sunt homi-  
nis causa generata, homo vero Dei, qui solus in hac in-  
fima mundi sede & quasi mortalium statione vim nu-  
minis diuini sentit & colit, quid absurdius dici aut co-  
gitari potest, quam principem illum Deum, cuius nutu

omnia reguntur, humanis animis cōsociationis studiū  
et amore in genuisse, quo sanctius ipse coleretur, et  
leges neglexisse, quae homines ad ciuilem communita-  
tem inter se iungunt atque conciliant? Natura celestis  
prouidentia ministra quedam et famula nec frustra,  
nec temere quidquam facit: diuina prouidentia homini  
præsertim, qui magnam habet cum Deo cognationem,  
atque omnium animantium tenet principatum, non con-  
sulet in his maximè rebus, que ad bene beatęq; viuen-  
dum valent: An seipsum regere difficile est; et tot ho-  
mines tamq; inter se moribus et studiis differentes gu-  
bernare operosum non erit? Illud absque diuina opera  
fieri non potest; hoc fiet humana? Nolunt poëtas absq;  
diuino quodam furore posse bonum carmen effundere:  
Et absque diuino numine leges vlla sapiēter instituen-  
tur? Verum enim Moyses eundem esse legum condito-  
rem tradit, qui vniuersi operis fabricator fuit. Ac nos  
ipſi probè scimus Dei sermones, quos (ut Apostoli ver-  
bis utar) olim patribus in prophetis, nouissime locutus  
est nobis in filio, esse vitæ præcepta, quibus ad sobrietatem,  
iustitiam, et pietatem eruditimur. Nec quidem  
vlla aliae dicendæ sunt propriæ leges, nisi quas Deus vel  
in tabulis Moysi datis promulgauit, vel in mentibus  
nostris inseruit: quæ ad omnes sunt, non ad priuatos al-  
liquos homines constituta; quæq; nulla uitatis spe-  
cie obiecta, nulla temporis perturbatione oborta, nullo  
rerum usu aut statu immutato abrogari à quoquam  
possunt, vbique gentium, vbiique locorum, militiae et to-  
ga semper eadem. Atque hæ sunt legum vera proprie-  
tates, que solum in diuinis insunt. A diuinis autem  
quæ discrepant humanæ leges nulla sunt, quoniam à re-  
ctaratione dissentiant: illis vero parentum, quæcum  
diuinis

diuinis consentiunt, sancta ab his, quos Deus maximus in terris dominos & reges aliorum ordinavit. Recte igitur Propheta, Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt qui edificant eam. Neg, enim aliud est ciuitas, quam hominum communis quedam habitatio; quaer ut ab omnibus temeritatis & insolentie iniuriis iuta sit, legibus est tanquam parietibus prouidentissime munienda. Quae leges quia diuina fide & authoritate roborata esse debent, ne scelerorum hominum audacia & effrenata violentia confringantur, idcirco idem Propheta, Nisi Dominus, inquit, custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Quamobrem ut ciuitatis anima lex, sic vita legis est Deus: ac merito & iure leges sacrae sanctae, & religiose, interpretesq; ipsarum antistites & sacerdotes apud omnes ciuitates, nationes, & gentes semper appellati & habiti sunt. Quid, cur ciuitatum gubernatores vel improbos quidem illos ipsiusmet Dei precepto iubemur magna obseruantia reuereri, nisi quod omnis potestas (ut Apostolus ait) a Deo est? & qui potest resistire resistit ordinationi diuinae resistit? nimurum quia legum & iuris custodia, tanquam illa sint diuinæ mentis inuenta, commendata est ijs, qui in principatu a Deo collocati sunt. Atq; vt edificij rationem fabri ab architecto petunt, & agendi vim a principe causa secundarie ac proxima suscipiunt, & quae res alias mouent ab alio quoq; ipsa principio habent motionem, sic in huius mundi gubernatione omnis administrationis ratio & potestas ab uno rege in alios velut in riuos a fonte deducitur. Itaque Diuus Augustinus (vt orationi nostræ doctissimi & sanctissimi, & grauissimi viri autoritatem adiungamus) in humanis legibus nihil esse iustum & legitimum

num ait, quod non ex aeterna lege homines sibi deriuant: & in sacris prouerbiiis caelestis Sapientia inquit, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Vnde nulla lex, nullum ius, nulla vita disciplina apud eos vñquam fuit, qui nullum Deum esse crediderunt. Et sapientes illi viri, qui dissipatos quondam homines in vnum cōgregarunt, hac eos persuasione sub iugū legis immiserunt, quod omniū rerū domini & moderatores essent dij; & piorum atque impiorum iudices; & malefactorum benefactorumq; ducerent rationes. Necnon qui leges aliis promulgarunt, quò rata & inviolatae essent, in eos, qui tum maxime colebantur, Deos inuentiones ipsarum transtulerunt. Sic Zoroaster quas Baetrianis & Persis composuit in Horomasim; Trismegistus quas Ægyptiis constituit in Mercurium; Minos quas Cretensibus dedit in patrem Iouem; Lycurgus quas Lacedemonibus sciuit in Apollinē; Draco & Solon quas Atheniensibus sanxerunt in Mineruā; Pompilius quas Romanis imposuit in Ægeriam; Zamolxis quas Scythis descripsit in Vestam retulit. Ac profecto scribendarum legum prouincia semper demandata fuit ijs, qui sanctitate & prudentia ceteris præstarent: quoniam istorum mentes magis diuinum spiritum conciperent, quandoquidem pare esse videtur principem universi Deum per charos sibi homines & benevolos humano generi mentem suam & animum significare. Ergo silex est hominum, & (vt loquitur insignis Poëta Pindarus) deorum regina, quia rerum uniuersitatem una quedam aeterna mens administrat; cur non arbitremur eam donum & inuentum esse diuinum? Nunc locus est alter orationis de virtutibus, que in finum legis atque complexum veniunt. Ad quem mihi aditus facilior

facilior patet ex hac ipsa disputatione, quæ modo tractata est. Nam si lex humanae coniunctionis moderationis est, certè viuendi rationē ab ipsa describi oportet. Ex quo necesse est legem, virtutes omnes, quarum ambitus rationes vitae comprehenduntur, suo gremio complecti atque fouere. Neq; vera lex vnius alicuius, sed vniuersorum ciuium felicitati studet. Hæc autem est omnium ciuium ad rectam rationem conformata actio, atq; inter se consentiens & honesta consuetudo. Nec eam lex alere & sustinere vlo modo posset, si non simul omnium virtutum copiis & auxiliis iuuaretur. Ac porro studium legis totum est circa voluptates & dolores, ne vel illi nos à bonis rebus vlla formidine absterrant, vel istæ blanditiis ad malas alliciant. Quia in re tota virtutis laus posita est. Nec vero legis præcipuam operam & studium putas esse, ea, que sunt extra animum, curare, parietum, fornicum, stillicidiorum vitia, sed animi partes bene disponere ac perficere, & ad summum recta perducere. Et cogitationes quidem animi prudentiae preceptis componit, voluntatis motus iustitia modo definit, iram & metum fortitudinis imperio regit, libidinis impetum temperantie meditatione refrenat. Cùm igitur virtutes legum fundamenta sint, non verborum capiunculas, quibus venalem quandam auctoritatem & gratiam ipsi aucepentur, sed virtutum & vitiorum naturas legum interpretes docere nos decet, ut bene beateq; viuamus. Hic quosdam rogantes audio num ex virtutibus leges, an ex legibus virtutes oriantur. Qui hoc tantum velim attendant, quod ratio, que affectus animi regit (& quidem virtus nihil aliud est, quam recta & constans animi affectio) dum turpia prohibet, & honesta imperat, lex est. Itaque unde virtus

F 3 deriuatur,

deriuatur, ex eodem capite lex manat. quæ nihilominus virtutem procreare videtur, cùm hominum animos & mores honesto & laudabili habitu componit. Tum quod monendo & consulendo virtus, hoc iubendo & vetando lex præstat. Sed oro ne male quenquam habeat legum dissimilitudo; quando ad unum eundemq; finem non semper una eademq; sit via. Licet enim interdum diuersæ leges ( quemadmodum est ante a disputatione) utilitatis causa iubeantur, tamen omnes idem spectant, nempe ut homines dignis officiis & virtutibus instruantur. Quid lex illa, Qui nimis festinat se ipsum præcipitat; nonne magna prouidentia rebus esse prospiciendum monet? Quid verba illa, Festinatio & tarditas nimia punienda sunt; nonne illud explicant tam celebre, tam salutare & diuinum prouerbium Festina lentè? quo monemur, ne quid agendo per socordiam relinquamus, aut temerè aggrediamur; vt ne deinde nos aliquid ignauiter prætermisso doleat, aut imprudenter admisso pœniteat? Hoc etiam facit ad prudentiam, ut principes ( quoniam veritas rerum gestarum erroribus non vitiatur) id sequantur, quod conuenit ex fide rerum, quæ probantur sequi. Illa vero ad equitatem, ne potentiores viri humiliores iniuriis afficiant, néue defensores eorum calumniosis criminibus innocentes sectentur; & in cognoscendo neque excandescant aduersus eos, quos malos putent, neque precibus calamitosorum illacryment, sed ius suum unicuique distribuant. Ad hæc omnia de remilitari instituta præcepta sunt fortitudinis, Ne arma alienent, ne amittant, ne militie tempus prætereant, ne stationis munus relinquant, ne locum in acie deserant. Mox quam graniter lex ignauos, contumaces, desertores, emansores,

res,

res, transfigas, proditores milites punit? Quæ autem sequuntur, ad temperantiam & concordiam attinent, ciuium reliquorum, Non dolo malo damnum dare, non rem alienam contrectare, non furtum facere, non fraudem admittere, non ex fraude lucrum sentire, non pulsare, non verberare, non cädere, non vim adhibere, non violentia vti, non stuprum alteri suadere vel inferre, sed coercere libidines, frenare cupiditates, ira motus cohibere, æquitatem, iustitiam, religionem colere; ut ciuilis societas, & integritate morum sanctè custodatur, & moderatione iuris in perpetua pace & tranquillitate seruetur. Quamobrē si ad honestatis imaginē hominū actiones legis norma formātur, necesse est eius circumscriptione virtutū omniū rationes viresq; cōcludi. Quapropter Aristoteles sciētiā legale, quod omnes virtutes suis claustris excipiat, vniuersam virtutē appellavit: idemq; nomen iustitia, quæ in cōmunione vite posita est, dedit; quæ prestantissima est, & omnium virtutum illustrata splendore præclarissima existit. qua neq; Hesperus (vt fertur) ita, neq; Lucifer admirabilis. Hinc ea, quæ legitima sunt, tanquam à iustitia iusta, & quæ iusta sunt, tanquam à lege legitima nominamus; quod eadem sit legis & iustitiae vis atque natura. Ideoque legem ab unicuique suum tribuendo Graci rōmōv, quod munus proprium iustitiae est; Latini vero sic à legendō vocarunt: qui delectus tam ad legem spectat, quam ad iustitiam. His de causis nulla doctrina vel ornatiōr, vel pulchrior, vel honestior, vel glorioſior legali prudentia est. Mirum vero, quod cūm eius opus tantum sit, tam exiguum quorundam leges interpretantium munus appareat, quorum aut improbitas est, aut inscientia reprehendenda: quoniam verba legis tenentes

tes equitatem relinquant; & virtutis vim aut ignorantes, aut dissimilantes in singulis litteris & interpunktionibus occupentur. Ita verbosis disputationibus interpretationes legum fraude & stultitia repleuerunt. Nos à legali scientia non verbosem prudentiae simulationem, sed bene viuendi modum & præceptiones hauriamus. Cum ergo legum prudentia tanto simul omnium virtutum splendore collustretur, iure maximo ceteris artibus proferri debet, ut potè illius sapientia administræ & comes, quæ ciuilis appellata scientia reliquarum artium & doctrinarum architectonica est. Atque hec est tertia & postrema orationis mea pars; ad quam ipso dictio[n]is filo deducimur. Et quidem architectonica ars ea est, quæ primò formam adificij comminiscitur: tum adhibet illas artes, quas aptas & opportunas iudicat; eisq[ue] modum adificandi prescribit. Quare ciuitatis formam effingentem, & tradentem bene viuendi rationem, & alius artibus utentem scientiam ad comparandam ciuium felicitatem, cuius causa omnia facit, ritè prudentissimi viri architectonicam nuncuparunt. Artes enim alie suo queque fine terminatae sunt; sicut in medicina sanitas, in bello victoria, & in aliis item artibus suum quodque extremum est. Finis autem consociationis humanae ciuilis felicitas est: in qua comparanda ciuilis sapientia omnem operam suam & studium ponit, precipiens quæ facienda aut negligenda sint, ac statuens quas artes recipi, quas contraria excludi è ciuitate conueniat. Quam obrem si finis, qui ab omnibus propter se experitur, posterior est ijs, quæ ad hunc ipsum conferuntur (debet enim optimum id esse, quod summum & ultimum est.) sapienter Plato & Aristoteles philosophie duo clarissima

ma lumina ciuili sapientia artes omnes & doctrinas  
subiecerunt. Que ciuilis sapientia in condendis, ser-  
uandisq; legibus pricipue versatur. Video quanta  
michi lis & concertatio cum his oriatur, qui res bellicas  
consestantur. quibuscum si ferro & armis decertandum  
michi esset, à pugna procul dubio abstinerem: at vero  
si rationibus est inquirenda & inuestiganda veritas  
(quādoquidem hoc hominis proprium est, illud bellua-  
rum) non dubitarim in campum arenamq; descendere.  
Neque inficias iuerim militari virtute remp. à seditio-  
orum hominum audacia, & ab hostium incursionibus  
defendi: at que ob has causas regibus necessariam esse.  
sed libenter eos interrogauerim cuius rei gratia bella  
suscipiantur? Nonne queso ut in pace vivatur? Quis  
enim bellum belli causa faciat, vt ex bello bellum, &  
ex calamitate calamitas propagetur? atque in teter-  
rimis belli miseriis continuisq; periculis sine vlo otio &  
quiete breuem hanc vitam spiritumq; ducamus? In-  
quis sibi, iniquis amicis, iniquis patriæ, quam, cùm si-  
bi charissima esse debeat, in turbulentissimas bellorum  
tempestates procellasq; coniiciat. Quod si bella ad pa-  
cem conferenda, non studia pacis ad bella conuertenda  
sunt; in generanda vero & confirmanda pace leges om-  
nem operam suum studiumq; posuerint; sine dubio le-  
galem prudentiam re bellica potiorem esse iudicabitis.  
Tum bella non sunt omni tempore necessaria; sine legi-  
bus vero ne temporis quidem momento vita, ne in ipsis  
quidem bellis honeste & tute agi posset. Utinam bella  
nunquam inducta fuissent in homines, non tot bonorum  
direptiones, tot prædiorum depopulationes, tot vasti-  
ties agrorum, tot tectorum excisiones, tot urbium in-  
flammationes, tot ciuium vexationes, tot rapinas, tot

cedes, tot incendia tanto cum omnium merore & luciu-  
cerneremus. Et ne memorem labores & pericula, quae  
in bello suscipiuntur, quid? quod vitam suam milites  
cum una (si superis placet) drachma commutare non  
dubitant? Quos ob id scitè Ulpianus sic à militia, hoc  
est, duritia & stupiditate dictos existimat. At in bello  
vires corporis experimur, lacertos & latera ostentamus!  
verum honestas, quam magni & excellentes viri quaer-  
runt, in animi prudentia residet. At in bello pectoris  
robur & magnitudo elucet! verum sedes legis, &  
custos humane communionis iustitia fortitudine pre-  
stantior est: à qua tantum, non item à fortitudine &  
temperantia viri boni nominamur. At imperium bello  
dilatatur! Sed ciuili scientia consernatur: nec minorem  
sapientes homines in asseruandis, quam parandis rebus  
laudem esse censem; nec magnitudine fines imperij, sed  
diuturnitate metiuntur. Quid Athenas? quid Car-  
thaginem? quid Romam, ciuilibus excisas & conuul-  
sas discordiis proferam? que si legibus stetissent; vel  
imperia, vel pristine dignitatis aliquam speciem reti-  
nerent. Quid arma foris prosunt, nisi intus sit consi-  
lium? Quis Lycurgi prudentiam? quis legem & dis-  
ciplinam non Pausaniae, non Agesilai bellicis rebus  
anteponat? Quis non præferat Themistocli Solonem?  
Ille Graciam (inquit Cicero) à metu feruitutis libera-  
uit semel; hic, dum eius instituta steterunt, semper con-  
seruanit. Factum illius ciuitati semel profuit; hec  
semper. Quod si imperatores aliqui nonnunquam ci-  
uitatum gubernacula tractarunt, illa non militari vir-  
tute, sed ciuili sapientia rexerunt: ita ut administra-  
re reip. laus omnis ciuili sapientie, non militari virtu-  
ti affigenda sit. Neque reges ad bella, sed ad ius exér-  
cendum

tendum Homerius à Ioue nobis datos esse pronuntiat: & iustitiae fruenda causa olim fuisse constitutos ipsa vetera scriptorum monumenta testantur. Quid? vt legitime & iuste bella fiant, quānam alia virtus aut docet, aut inbet, quām legalis? Et non illa præsit, quae imperat? aut Deorum iudicium, quod est apud Poëtas, despiciemus? quorum ingenium & diuinitatem omnes admirantur? Cūm enim Pallas & Neptunus inter se decertarent de imponendo vrbi nomine, que deinde à Pallade nominationem Athenarum accepit; Deorum consulto decretum est, vt is urbem, quo vellet, nomine appellaret, qui rem utiliorēm humano generi protulisset. Itaque Neptunus incusione tridētis equum aptum ad bella è terra excitauit: contrà Pallas oliuam pacis signum produxit. Cuius inuentum cūm præstantius & utilius à Diis iudicatum fuisset, ciuilis sapientia Dea victoriam reportauit. Idēmque sapientissimus Salomon confirmauit, Melior est, inquiens, iustitia, quām bellica fortitudo. Verumtamen hic ego, Perusini, felicitatem vestram & fortunam admiror, quod etiam in hoc studio militari semper excellueritis: vt non plures fortissimi principes ex illo equo Troiano, quot ex hac vrbe strenuissimi duces omnibus seculis prodierint. Quorum nomina recensere in præsentia præter rem fore existimo. Sed eorum est, vt orationem meā convvertam ad medicos, illosq; oreū & obtestor, ne quid mihi succenseant, si legalem scientiam medicinæ quoque anteposuero. Evidem, quia infirma atque etiam agra valetudine sum, modo capit is grauedine oppressus, nunc stomachi cruditate male affectus, aliquando oculorum morbo impeditus, interdum aliqua fibracula tentatus ex

sacrarum

sacrarum litterarum praecepto propter necessitatem  
medicos honoro & obseruo, meamq<sup>z</sup> valetudinem illis  
committo: verum si magis est ( ut dici solet ) amica  
veritas, patientur iuris prudentiam vel in hoc medi-  
cinae preponi, quod ad moderandam Remp. pertineat.  
Medicina facit vel conservando bonam valetudinem,  
vel amissam recuperando, vt sine aggritudine; lega-  
lis vero prudentia ius suum vnuicuique distribuendo,  
vt sine cupiditate in pace viuamus. Illa herbarum  
genera & radicum, hac virtutum formas viresq<sup>z</sup> con-  
siderat. Illa corporis morbis, hac animi agrotationi-  
bus medetur. Illa tuenda valetudinis, hac viuendi  
ars est. Tanto autem praestat animi sanitatem, quam  
corporis valetudinem tueri, quanto mens corpore no-  
biliore est atque praestantior. ni fortasse illud non aequè  
accipiatur, atque a sapiente quodam dictum est, Sa-  
tius esse mori, quam turpiter viuere. Sed decet vale-  
tudinarium de medicina loquentem apud medicos mo-  
derate dicere atque modestè. Reliquas artes opera-  
rias & fabriles scienter prætero; quod utilitate, &  
dignitate, & difficultate longè inferiores sint; nec mo-  
do non preferri, sed ne illa quidem ex parte cum le-  
gali prudentia conferri habeant. Nec dubito quin ex  
aliqua philosophorum schola huc quisitam ad nos pro-  
deat, & quas Graci theoricas artes vocant legali pru-  
dentiae anteponat, & concisis Stoicorum more senten-  
tiis hunc in modum disputationem. Veri cognitio est eius  
intelligentia, quam veri speculatrix appellant; re-  
rum vero agendarum prudentia est in ea intelligentia,  
quam Graci practicen, nos vocemus actiuam. atqui  
speculatrix intelligentia est actiuam nobilior. igitur con-  
templatio actioni, & inspectua scientia legali pru-  
dentiae

dentiae antecellit. Ad hoc contemplatio se ipsa contenta est; actio vero plurimorum operam & patrocinia requirit: unde contemplatio res simplices inuestigat, quae aliter esse non possunt; actio res pertractat, quae concreta sunt, atque mutantur. Quamobrem & nobilitate, & certitudine, & iucunditate vincit actionem contemplatio. Hec, & similia dissecta articulatim ab ipsis philosophis disputantur. At videte obsercro quantum ipse quoque rerum contemplationi tribuam: qui artes inspectivas dignitate, nobilitate, firmitate, voluptate, integritate, diuinitate ait actius excellere; sed ad confirmationem societatis humanae legalem prudentiam magis, quam rerum occultarum contemplationem esse necessariam assero. Quin immo ipsa rerum, quas natura occultauit & quasi inuoluit, inquisitio maximas gratias huic prudentiae habere debet; quoniam eius tutela & præsidio ab omni molestia & offensione liberatur. Quod si non modò nobis, verum etiam aliis nati sumus, non contra officium erit inuestigationis studio ab agendis rebus abduci? Quid prodest abdita natura perscrutari, salutem verò suam communemque contemnere? aut celorum & siderum conuersiones suspicere; sui verò, suorumque curam, nullam habere? & rerum diuinarum cognitio nisi melioribus preceptis vitam instituat, quem fructum & utilitatem afferet? Quod si diuina contemplando Dei similes efficimur, & humana gubernando Dei vicarij constituimur: Que nam ante in unum locum congregatos homines? que ante conditas ciuitates atque legibus institutas? que tum virtutis ratio? que morum disciplina? que religionis cura? Nulla tunc vis erat iusticia, nulla humanitatis insignia; nulla pietatis ve-

stigia

stigia cernebantur. Pecudum ritu in silvis & nemoribus nulla certe sede vitam agitabamus. Nemo stellarum sedes, nemo signorum formas, nemo siderum motus, progressiones institutionesq; notabat. Nec occulta natura quisquam rimabatur, nec res latentes inquirebat, nec eorum, quae fiebant, causas indagabat, nec causarum obseruabat effecta. Quia igitur vita laborum & periculorum plena, ac multarum rerum indigens erat, sapientes quidam viri in unum homines conuocarunt, atque artes ad varios vitae usus excogitarunt, & leges ad confirmandam humanam societatem promulgarunt. Itaque vita necessitas in societatem homines coegerit; artes materiam communium utilitatum subministrarunt; leges formam ciuitatis expresserunt. Quarum vim & naturam oro diligenter aduertite. Quoniam humanum ingenium si speraret impunitatem & licentiam peccandi, quavis de causa facile contumacia & fastidio efferretur, legibus cobi-beri oportuit: licet q; à natura nonnulli ad virtutem instituti & comparati videantur, tamen his etiam recti regula adhibenda est, ne aut iudiciorum inanitate, aut morum depravatione ab honesto traducantur. perindeq; lex animum errare non patitur, atque ars preceptionibus cauet, ne quid natura peccetur. Et quoniam duplex est hominum genus; alterum, quod honestatis species delectat; alterum, quod metu à flagitio retrahitur, cuiusmodi vulgus est, quod virtutis ne umbram quidem ullam videt, tantum corporis voluptates sequitur, lex homines ingenuos ad virtutem, premiis inuitat, illiberales pœnis à vitiis deterret. Et enim decet imperitam multitudinem non aliter ac bestiano non verbis, sed fustibus à malefactis repelliri: nec verborum

verborum strepitu animorum perturbationes sedantur, sed maiore quadam vi comprimuntur: alioquin maxima (ut inquit Theognis) merces tribuenda esset orationi, si turbulentos animi motus & ardores per se ipsa restingueret. Sed & prudentissime legum latores ea supplicia describunt, quæ concupitis voluptatibus maximè officiunt; quibusq; homines in suis vitiis satis apta & digna animaduersione plectuntur. Multatur quidem libido cruciatu, voluptas dolore, frans damno, furtum ignominia: icidem parricidae culleo, disoluti vinculis, ferro sicarij, cruce pradones, factiosi exilio, malefici carcere multantur. Contrà per eosdem legum latores decernuntur statua magnis viris, & imagines in foro collocantur; danturq; corone victoribus, & triumphi habentur; postremo bene meritis de Republicis pro cuiusque dignitate magistratus & honores ab ipso iure deferuntur. Quibus rebus, pramio, inquam, & poena Solon unus e septem Gracia sapientibus Remp. sustineri sensit. Et aurea illa catheна, qua vniuersum mundi orbem, quasi urbem hominum & deorum, constringi finxit Homerus; quid aliud est, nisi humana societas connexio, quam aurea leges efficiunt? Lex etenim iis rebus quemque preficiens, ad quas tractandas noscit idoneum, & simili quadam arte observationis & benevolentiae cum maioribus minores, & cum optimatibus populares concilians, qua mundi opifex Deus cum superis ima, & cum calestibus terrena connectit, diuersarum actionum & officiorum convenientem reddit conspirationem, quasi quādam harmoniam: quæ sonorum est dissimilium certis interuallis facta consensio. Qua parvum apta cum suauitate quadam compositio ut dignitas est in corpore, honestas

in animo, seu manis Platonicorum more appellare temperantiam, sic in ciuitate totius iustitiae imago forma & pulchritudo est. Cui ciuitatum moderationi licet in humani animi temperantia similem formam agnoscere. Nam ut animus tunc bene compositus est, cum ratio praesidet, ac reliqua partes, velut irascendi & concupiscendi facultates rationi parent. (est enim omnium virtutum quidam quasi chorus, laudabilisq[ue] concentus.) sic ciuitas tunc recte constituta est, cum sapientes homines consilio res administrant; fortes viri ab hostibus Remp. virtute defendunt; reliqui frugalitate & modestia ciuitatis sanitatem integratamque conservant. Qui status ex mutua ciuium benevolentia & beneficiis concors, ex iuris temperatione moderatus continetur. Itaque lex pacis & concordie parens hominum mores & actiones ad communem iustitiae normam dirigens bene à Demosthene dicitur conuentus ciuitatis, ad cuius prescriptum ciues omnes vitam suam instituere oporteat. Ac veluti faber in edificando regulam admouet, ne opus aliqua distortione deformem fiat; sic par est una eademque lege omnes ciues non aliter atque optima regula vti, ne vel anaritiae, vel libidinis aliquo vitio ciuilia munera depraventur. Quare etiam magnus ille doct[or] Stoicae discipline Chrysippus apte legem finiuit honestarum & turpium rerum, ac iustorum & iniustorum regulam esse; regulam, inquam, rationis compotem per virtutum precepta ad ciuilem felicitatem homines perducentem. O lex beneficiorum mater, qua tuo sinu & complexu omnia humanitatis, pietatis, sanctitatis studia comprehendis, magistra vita, magistra discipline, magistra virtutis! Hac hec vera, non simulata philosophia est, que artem

tem bene vinendi tradit, quæ virtutum formas amplectitur, quæ fines officiorum describit, euocata è cælo, & à Deo pro maximo munere humano generi concessa. Quocirca sapientissimus Plato beatas fore putauit Resp. quæ à Philosophis regerentur. His regendarum ciuitatum gubernacula Ægyptij mandabant hos quædam in Italia (ut proditum est) gentes non modo Re-rump. administrationi, verum etiam sacrorum ritibus præsticiebant. horum denique prudentiæ gentes omnes & nationes, opes, fortunas, honores, dignitates, liberos, patriam, domos, sedes, aras, focos, sè ac sua semper commendarunt, atque commandant. Hinc in amplissimo honore fuit omni tempore apud omnes legum cognitio & interpretatio: qua inter omnes quid cuiq; suum, quid aliorum, quid equabile sit intelligitur. & iuris consulti, quod sint in dando & vtendo consilio prudentes, Hesiodi sententia omnium præstantissimi sunt: eo-  
rumq; domicilium Cicero recte vocat totius ciuitatis, immo regionis & orbis terrarum oraculum; ex quo non solum ciues, sed etiam externi populi, & reges, & Imperatores consilia in magnis & dubiis rebus petant. Quin etiam in concilio Deorum admissos ad eorum, qui ex hac luce discedunt, mores & vitam iudicandum facta Poëtarum fabula tradunt. Quo in studio legum Mercurius Trismegistus primus fertur populos suos exercuisse: cui ad memoriam meritorum Ægyptij templum honorifice construxerunt: eiusque nomen proferre venerationis causa religiosum esse putarunt. Imitaborne, Perusini, hoc in loco Poëtas, qui multorum nominibus recensendis Musarum numen implorant: Nam tot iurisperiti ciues vestri, quorum nomina magna sunt apud omnes gloria, mihi in mentem veniunt, ut quem-

G . primo,

primo, quem dicam secundo loco ignorem. Sed in primis Bartholus iurisconsultorum facile princeps occurrit; qui licet Saxoferrati (quod oppidum veteres Sentinum appellantur) natus sit, tamen in hac vestra urbe educatus & mortuus est. Cuius sepulchrum in aede sacra B. Francisci etiam nunc conspicitur. Vnde genus Alphanorum in praesens usque honoribus & gratia florescit. Quid honestissimam Ubaldorum familiam commemorem, in qua tot viri legali scientia claruerunt? Quantum est apud omnes Baldi nomen? quanta auctoritas? quantum decus & laus? qui Bartholum preceptorem suum aut ingenio superauit, aut doctrina equauit. Duos secum habet germanos; Angelum, qui cum Bartholo & Paulo Castrensi legalis prudentiae triumvir appellatur, & Petrum, qui mentis acumine & doctrina nulli istorum cedit. Hos filij & nepotes sequuntur præditissimi splendore, Angelus secundus, qui (ut ar vulgo non ignotis verbis) confessorialis aduocatus fuit, Nicolaus Romana rota auditor, & Matthæus ob solerter eruditio[n]em satis omnibus clarus. Longum esset omnes enumerare, qui vestigia maiorum inseguunt in eandem famæ societatem venerunt. Non interim stilebo nomen doctissimi viri Io. Petrucij Montisperelli; qui generis nobilitate nulli secundus est, doctrina forte omnium primus, si eius monumenta extarent. Adebat auditor eius & gener Petrus-philippus Corneus ex Corneorum non obscuræ familia; qui summacum omnium admiratiōne L. annos ius ciuale professus immortale nomen adeptus est. Quid Baldum-Bartholinum referam, quem dicunt Baldum nouellum? quid eiusdem cognationis Honofrium, quem doctorem insignem vocant? quid Philippum Francum? quid

quid Benedictum Capram, peritissimos iuris? quid postremò Vincentium Herculatum, qui superiore aetate omnes animi solertia, doctrina, studio, & gratia anteinuit? Hac, Perusini, eò tendit oratio, ut cognita & perspecta legum inuentione, virtute, dignitate, maiore animo ad illarum studia incumbatis, ac relictam à maioribus vestris gloriam vos ipsi vestro ingenio, industria, & labore amplificetis.

## F I N I S.

NATURALEM A

ONTOLOGIA CHILOLOGIA  
ANOMIA. ANOMIA. RAY  
EPISTOLAE. EPISTOLAE.  
XXXII. CLO. ОКИА

Sex hasce Orationes Antonij Viperani perlegi atque approbaui, eò quòd reconditæ Philosophiæ plenas, & ab omni erroris malo liberas deprehenderim.

Walterus vander Steegen, S. T. Licentiatus, & Ecclesia Antuerpiensis Canonicus.

B. M. Bod. Lib. Ms. Sloane





